ABRAHAMI FRANSI,

INSIGNIVM, ARMORVM, EMBLEMATVM, HIEROGLYPHICORVM, ET SYMbolorum, quæ ab Italis *Impreſe* nominantur, explicatio:

Quæ

Symbolicæ philoſophiæ poſtrema pars eſt.

Excudebat Londini, Thomas Orwinus:
Impenſis *Thomæ Gubbin*, & *Thomæ Newman*.
1588.

Illuſtriſs. Domino D. Roberto

Sydneio, Abrahamus Franſius.

S. P. D.

EN tibi multiplicis partem, Sydneie, laboris,
dum totum poſthac perficiatur opus.
Si præmiſſa placent, etiam promiſſa ſequentur:
Si non, Lethæis immorientur aquis.



Illustris Domino D. Roberto
Sydnæio, Abrahamus Fraserus.
S. P. D.

LIBER PRIMVS
DE INSIGNIBVS.

MVltæ ſunt, quibus animi ſenſa explicari ſolent, rationes nobis vel à natura datæ, vel induſtria introductæ. Oratio & geſtus occurrũt inprimis: quorum hoc nemo eſt tam ferus qui non moueatur, immo ipſæ etiam feræ deliniuntur: illa ſolum illos afficit, qui eiuſdem linguæ ſocietate coniunguntur; & huius ope vtimur, & illius auxilio, vt ijs qui adſunt animi notiones implicatas euoluamus. Abſentes verò & qui à nobis vel temporum vel locorum interuallis remouentur, ſcriptura, picturaque facimus noſtræ ſententiæ participes: Non quòd vel pictoris opus ab ijs qui adſunt, inſpici non poſsit, vel quæ ſcribuntur, legi à preſentibus, ſed quod abſentes, cum cæteris præſidijs deſtituantur, ad iſta potiſsimum confugiant, vt quid illi velint, intelligãt, qui vel viuentes abſunt, vel iam vixerunt, viciſsimq; oſtendant poſteris cogitationes ſuas tradantque æternitati. Vſitatas literarum formas, Hebreorum Cabalen, ſymbola Pythagoræ, Trihtemij polygraphiam prętermitto, & furtiuas literarũ notas à Iohanne Baptiſta Porta Neapolitano in lucem æditas. Mythologiam, deorum imagines, & ænigmatum quorundam explicationem iampridem deſcripſimus: quod opus quia varium eſt & multiplex, iuſtumq; volumen deſiderat, ſupprimendum

est,donec perfectius elaboretur. Interim de Insignibus, Armis,Emblematibus,Symbolis, Hieroglyphicis,quod inuenerimus,afferemus; obiterq; etiã coronarũ, tunicarum,colorumq; varietatẽ explicabimus. Priusquam autem insigniũ originem explicemus, ponẽda sunt ea,quæ patent latissimè, & per totum hoc opus nostrum diffunduntur. Id ergo est commune, vt ista omnia quæ proposuimus, animi notiones explicent, & explicent elegantius, non apertè tamen nimis exponant, non vsitato more & consuetudine. Quemadmodum enim res quæ proponuntur, non vulgares esse solent, sed ex intimis naturæ penetralibus depromptæ, sic & declarandi modus singularis est, nec doctis obscurus,nec imperitis admodum familiaris. Quidnam esse causæ putem cur ista à veteribus obscurius proponerentur,dicemus alibi. Iam id agemus, vt insignium originem naturamque inuestigemus. Cogitanti ergo mihi, & per infinitam librorum vim, omnémque antiquitatis memoriam peragranti, non noua hæc videtur, aut recens in lucem ædita Insignium quasi Methodus & disciplina, sed vetus, sed antiqua maximè, & ab Heroicis deducta temporibus, vel ab ipsis potius mundi incunabulis deriuata: nec vnius alicuius vel vrbis vel imperij terminis circumscripta, sed per vniuersum terrarum orbem latissimè diffusa & propagata. Omitto summi pontificis vestimenta diuinis insignibus exornata, à præpotenti illo deo institutis, de quibus erit alius magis accommodatus dicendi locus. Mitto Diodorum Siculum qui ista repetit ab Osiridis tempore. Prætermitto signa illa quæ in vexillis duodecim tribuum Israel circumferri scribit Nicholaus Vpton anglus in libris, quos de armorum doctrina in lucem ædidit. Tideus apud Eschilum in cli-

peo

peo depictũ habet cœlum stellatum, cum luna medium vmbonem occupante. Id enim à græcis appellatur ἐπίσημον, insigne nimirum in clipeo, aut nota insignis qua ab alio discernitur, vmboni affixa; hinc apud Plutarchum in Apopth. Laconum, τῆς ἀσπίδος ἐπίσημον.

Huiusmodi notis insignia erant Achillis arma à Vulcano fabricata: cuius rei etsi mentionem faciat Ouidius 13. Metamor. quia tamen, cum fontes adire liceat, turpe est riuulos consectari, Homeri locum integrum inducemus ex 18. Iliados, vbi Vulcanus Thetidis adductus precibus, Achillem his armis instruit.

PRimum hic ingentem clipeum fornace sub alta
Informat, triplici quem circum intexuit ora,
Intima nexilibus fulgentem argentea loris:
Ipsum quincuplicis clipei latus omne, magistra
Excultum fictumq; manu: Nam finxerat illic
Terrasque tractusque maris, cælumq; profundum,
Et vaga non vnquam defessi lumina solis,
Et plænæ penitus coeuntia cornua lunæ,
Cunctaque stelliferum pingentia sydera cælum,
Pleiadasque, Hiadasque, & robustum Oriona,
Parrhasiumq; pecus, dictum cognomine plaustrũ,
Arcton, Hyperboreũ, quæ circum vertitur axem,
Ipsumque obseruans magnum Oriona tuetur,
Oceani ipsa expers, illotaque semper ab vndis
Æquoris. Hîc geminas insculpsit Mulciber vrbes
Diuersis hominum linguis, quarum altera pleno

Pompa-

Pomparum resonat plausu, genialia flammis
Atria collucent, Hymeneia festa parantum,
Ducentumque nouas ad splendida mœnia nuptas
E thalamo tædis præsentibus; arcta canoros
Tibia dat sonitus, salit omnis ad incita pubes
Carmina, & audaces cœtu feruente choreas
Deducunt, iuuat è patulis spectare fenestris,
Vestibulis domuum pulchras astare puellas:
Parte alia, fora tota, frequens concursibus implet
Insanis populus, sese ciuilibus inter
Legibus infesti, & discordi lite coorti.
Præterea, duo, iudicio contendere, magna
Lite videbantur; quorum accusator agebat
Esse reum quendam dilatæ crimine mulctæ
Quæ soluenda foret populo, pro cæde patrata
Interfecti hominis: docet hic soluisse, quod esset
Soluendum populo: negat ille, & dicere prorsus
Nil sese accepisse: ambo producere testes,
Inquirique super vero. tum denique circum-
Funditur, auxiliumque ferunt clamoribus omnis
Ambobus populus, quòd quisque ibi cuiq; fauebat.
Præcones turbam arcebant, motuq; premebant,
Donec marmoribus mox consedêre politis
In sacro positis cœtu, spectanda ferentes
Sceptra senes manibus, præconum voce valentum:

Qui

Qui ſimul indixêre tenenda ſilentia turbæ,
Iura ſimul dixêre; auri duo magna talenta
In Medio poſita exponunt, quæ præmia ferret
Cuius dicta foret melior ſententia cauſæ.
Altera cælato quæ mœnia doctus in auro
Fecerat Ignipotens, arcta obſidione premebant
Binæ vtrinque acies: populorum caſtra duorum
Armis conſpicua, armorum fulgentia cultu.
His ingens certamen erat; pars altera ferro
Excindendam vrbem, totaque à ſtirpe ruendam:
Altera cenſebat, deductis, obſidionem
Soluere militibus, ciues mulctare bonorum
Dimidia parte: at non his qui clauſa tenebant
Mœnia, conditio placuit: ſed talia ciues
Edocti, inſidias hoſti fraudemq; parabant.
Muros, inualidiq; ſenes, trepidæque puellæ
Et pueri tenuêre, & dulcia pectora Matrum.
Illi ibant ducibus Gradiuo & Pallade glauca,
Cultus vtrique deo fuit aureus, aurea veſtis,
Quales eſſe deos decet: arma humana ferentes
Ponè ſequebantur, formaque & corpore toto
Turba minor: tacita qui poſtquã ad fraude paratũ
Inſidijs, venêre locum, qua plurimus amnis
Labitur, & fluuio ſitientes irrigat herbas,
Huc ſe prouecti deſerto in Margine condunt,

Armis contecti fulgentibus ære coruſco.
At duo præmiſſi, quibus explorare poteſtas
Conatus fuit hoſtiles data, cum retuliſſent
Hoſtis adeſſe gregem pecudumq; boumq; recuruis
Cruribus, vrgentum veſtigia: iamque ſub ipſos
Prodierant tumulos tacita loca fraude tenentum
Proxima, paſtores duo qui concentibus auras
Mulcebant varijs, quos fiſtula ſtridula fudit,
Ponè ſequebantur, neque quiſquã ex agmine tales
Hoſtili inſidias præuiderat: ocyus omnes
Conſurgunt, ferroque petunt, ferroque trucidant
Omnia, candẽtumq; ouium, validúmq; iuuencorũ,
Ipſos paſtores etiam: Cum denique clamor
Ferro occumbentum, & ſæuo ſub Marte cadentũ,
Mœnia vallantis, ſummiſque in rebus agentis
Conſilia, attonitas populi veniſſet ad aures,
Arma & equos properè arripiunt, ac dira minati
Hoſtibus occurrunt, & mutua vulnera miſcent,
Martem alternantes ad ripam fluminis alti.
Exoritur facies diræ atrociſſima pugnæ.
Pugnantes inter, contentio dira, tumultuſque,
Et fatum crudele vltro citroque volabant.
Aſpiceres alios, multo cum ſanguine miſtam
Vitam exhalantes, alios in vulnera pronos
Deficere, & vitam vix ducere, vulneris illum

Exper-

Expertem, hunc cæsum pedibus per tota reuinctis
Castra rapi, iamq; arma virûm, iã corpora multa
Cæde cruentari, fluere atro sanguine vestes,
Non secus ac viuis certarent agmine vtroque
Militibus, tanquam passim exanimata trahebant
Corpora: quos picto iurasses viuere in auro.
Pinguia prætereà ter aratæ iugera terræ
Sculpserat Ignipotens, clipei cœlestis in auro.
Hîc multi agricolæ bobus, sub aratra coactis
Terram inuertebant, qui cum certamine multo
Vltima venissent ad arati limina campi,
Præstò erat hîc fessis qui dulcia vina propinans
Funderet: Illi ad agri studia intermissa reuersi
Vomeris obtusi dentem impreſsêre nouali
Altius. Hîc ad aratra retrò, mirabile visu,
Terra videbatur ductis nigrescere sulcis
Auriferæ similis, flauentibus aurea campis
Sicut arabatur: sed & aurea messis, & illam
Messores cupidi peracuta falce secabant:
Iamque graues denso sternebant ordine culmos,
Alter & alterius cumulabat aceruus aceruum:
Multa videbantur manibus delapsa iacentum
Farra iacere solo: tum sternebantur aristæ
Post aliàs aliæ, collectos inde maniplos
Tres simul agricolæ consueto more ligabant.

Ponè ſequebantur pueri, qui ſparſa tenaci
Farra manu legerent, qui mox collecta ferebant
Aurea ſpiciferis ſtringentibus hordea culmis.
Sceptra tenẽs manib⁹ ſtabat rex intus in agro:
Inde procul viridi ſub quercu ſacra parabant
Fercula præcones, cæſo boue: ſedula matrûm
Turba ſuis cœnam meſſoribus inſtruit, albo
Farre cibos miſcens inſperſerat. Addidit idem
Parte alia Deus in clypeo, cum vitibus vuas:
Vinea botriferos oſtenderat aurea ramos.
Palmitis argento candentes brachia Pali
Fulcierant, circum veniebat foſſa coloris
Cærulei, quam totam ambibat ſtannea ſepes.
Vnica ducebat per opertum vitibus hortum
Semita, qua lectas deferret vinitor vuas.
Dum pueri & teneræ forma atque ætate puellæ
In calathis crudi prædulcia munera Bacchi
Ferre videbantur, medio citharædus in horto
Ruſtica perſonuit vocali carmina plectro,
Et tenui voce accinuit, cui læta iuuentus
Arguto commota ſono, pede plurima terram
Pulſat, & ingenti faciles clamore choreas
Ducere viſa ſimul: ſpecies fuit hactenus horti:
Quæ ſuper ille faber diuino inſculpſerat æri
Armentale boum cœlo capita alta ferentum

Agmen,

Agmen, inaurato quorum pars corpore toto,
Ærea pars fuerant, rumpentes aera magno
Rugitu, è ſtabulis properant in paſcua vaſto
Impete, ad obſtreperum fluuium, lõgéq; ſonantem,
Et multa tremulum viridantis arundine ripæ.
Protinus hinc puro cælati quattuor auro
Paſtores, armenta boum ſpecioſa ſequuntur,
Quos comitabantur ter tres robuſta moloſſi
Corpora, pernicique pedum leuitate, ſed inter
Agmina rupêrunt duo robore prima leones
Terribiles, quamuis mugitu grande ſonantem
Eximium rapuêre bouem, raptumque trahebant:
Mox arrepta graui laniantes viſcera morſu
Carniuoros atro macularant ſanguine rictus.
Paſtores properè accurrunt, certantque tueri,
Jmmittuntq; canes: Illi cùm rapta leones
Tergora glutirent, properè aſſiluere: ſed ipſos
Nequaquam rapidis adoriri morſibus auſi,
Æthereas vanis implent latratibus auras:
Hinc operi faber adiecit pede claudus vtroque.
Planicies peramæna fuit, ſpectanda per amplã
Paſcua conuallem; ſtabula intus plurima, & albis
Plenæ ouibus caulæ: tum tecta paluſtribus vluis
Culmina villarum: ſpectandum denique multa
Arte chorũ, & vario diſtinxerat ordine, qualem

Conſtruxiſſe ferunt. Cræteis Dedalon oris
Formoſæ auxilium Mynoidos ignibus olim.
Illic & nitidi iuuenes, pulchræq; puellæ
Stabant, alternata manu ceu vincla tenentes.
At iuuenes toga velabat condenſa nitenti
Interfuſa oleo: patrio de more puellis
Lanea veſtis erat: pulchras hæ ferre coronas,
Hi gladios auro grauidos, argentea lori
Tortilis ex humero pendere volumina ſummo:
Atque illi in numerum pedibus ſaltare ſuetis
Saltantes duxêre choros, facilique rotatu
Nunc hac, nunc illac vertuntur: Non ſecus acſi
Si quis adaptatam manibus prius experiatur
Currere poſſe rotam figulus, mox ordine verſo
Mutua ſaltantes, ſpatia in ſua quiſque redibant.
Plurima circumſtans delectabatur amicum
Turba chorum ſpectans: gemini quibus alludentes
Multa aſſultabant pueri dulcedine cantus,
Atq; hinc in medium perfecta laude redibant.
Pinxit & Oceani magnam reuolubilis vndam
Circum oras clipei extremas, multaq; fideliq;
Arte laborati, quem poſtquam robore ab omni
Inuictum, validumq; manu, magnumque peregit,
Tum vero ignitas ſuperantem lumine flammas
Aggreſſus Thoraca dedit: dein fortibus aptam

Tem-

Temporibus galeam, cuius ſummum aurea conum
Chriſta tegit: tum pulchro ocreas ex ære nitentes
Ante pedes Thetidis, quibus illa animata receptis
Deuolat è ſummo nebuloſi culmine olympi,
Accipitri ſimilis, vulcania munera portans:

Atq; iſta Homerus de Achillis armis: quæ cum Virgilius ſibi in 8. Eneidos propoſuiſſet, Eneæ arma ab eodem artifice abſoluta proponit in hunc modum.

——— & clipei non enarrabile textum.
Illic res Italas, Romanorumq; triumphos
Haud vatum ignarus, venturiq; inſcius æui,
Fecerat Ignipotens. Illic genus omne futuræ
Stirpis ab Aſcanio, pugnataq; in ordine bella
Fecerat: & viridi fætam Mauortis in antro
Procubuiſſe lupam: geminos hinc vbera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impauidos: illam tereti ceruice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romã, et raptas ſine more Sabinas
Conſeſſu caueæ, magnis circenſibus actis,
Addiderat, ſubitóque nouum conſurgere bellum
Romulidis, Tatioque ſeni, Curibuſque ſeueris.
Pòſt ijdem inter ſe poſito certamine reges
Armati, Iouis ante aras, pateraſq; tenentes
Stabant, & cæſa iungebant fœdera porca.

Haud

Haud procul inde citæ Metiũ in diuersa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabátque viri mendacis viscera tellus
Per syluam, & sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat
Accipere, ingentique vrbem obsidione premebat.
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant:
Illum indignanti similem, similémque minanti
Aspiceres: pontem auderet quod vellere Cocles,
Et fluuium vinclis innaret Clelia ruptis.
In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis
Stabat pro templo, & capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Atque híc auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat:
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris, & dono noctis opacæ.
Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis:
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur: duo quisq; Alpina coruscat
Gæsa manu, scutis protecti corpora longis.
Híc exultantes Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, & lapsa Ancilia cælo
Extuderat: castæ ducebant sacra per vrbem
Pilentis matres in mollibus: Hinc procul addit

Tartareas

Tartareas etiam ſedes, alta oſtia Ditis:
Et ſcelerum pœnas, & te, Catilina, minaci
Pendentem ſcopulo, furiarumq; ora trementem,
Secretoſq; pios; his dantem iura Catonem,
Hæc inter tumidi latè maris ibat imago
Aurea: ſed fluctu ſpumabant cærula cano:
Et circum argento clari Delphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æſtumq; ſecabant,
In medio claſſes æratas, Actia bella
Cernere erat: totumq; inſtructo Marte videres
Feruere Leucaten, auroq; effulgere fluctus;
Hinc Auguſtus agens Italos in prælia Cæſar,
Cum patribus, populoq;, penatibus, & magnis dijs,
Stans celſa in puppi: geminas cui, tẽpora flammas
Læta vomunt, patriumq; aperitur vertice ſydus.
Parte alia, ventis, & dijs Agrippa ſecundis,
Arduus, agmen agens, cui, belli inſigne ſuperbum,
Tempora Nauali fulgent roſtrata corona;
Hinc ope Barbarica, variiſq; Antonius armis
Victor, ab auroræ populis & littore rubro
Ægyptum, ciueſq; Orientis, & vltima ſecum
Bactra vehit, ſequiturq; (neſas) Ægyptia cõiux.
Una omnes ruere, ac totum ſpumare reductis
Conuulſum remis, roſtriſq; ſtridentibus æquor.
Alta petunt: pelago credas innare reuulſas

Cicladas, aut montes concurrere montibus altos,
Tanta mole viri turritis puppibus instant.
Stuppea flamma manu, telisq; volatile ferrum
Spargitur: arua noua Neptunia cede rubescunt.
Regina in medijs patrio vocat agmina sistro,
Necdum etiam geminos à tergo respicit angues.
Omnigenûmq; deûm monstra, & latrator Anubis,
Contra Neptunũ & Venerem, contraq; Mineruã
Tela tenent: sæuit medio in certamine Mauors,
Cælatus ferro, tristesq; ex æthere Diræ,
Et scissa gaudens vadit Discordia palla,
Quam consanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper, omnis eo terrore Ægiptus, & Jndi,
Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi,
Jpsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare; & laxos iam iamque immittere funes.
Jllam inter cædes pallentem morte futura
Fecerat Jgnipotens vndis & Japige ferri.
Contra autem magno mœrentem corpore Nilum,
Pandentemq; sinus, & tota veste vocantem
Cæruleum in gremiũ, latebrosaq; flumina victos.
At Cæsar triplici inuectus romana triumpho
Mœnia, dijs Italis votum immortale sacrabat,
Maxima tercentum totam delubra per vrbem.

Lælitia,

Lætitia, ludisq; viæ, plausuq; fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ:
Ante aras terram cæsi strauêre iuuenci.
Ipse sedens niueo candentis lumine Phœbi
Dona recognoscit populorum, aptatq; superbis
Postibus, incedunt victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam vestis & armis.
Hîc Nomadũ gen°, & discinctos Mulciber Afros,
Hîc Lelagas, Carasq;, sagittiferosq; Gelonos
Pinxerat: Euphrates ibat iam mollior vndis:
Extremiq; hominum Morini, Rhenusq; bicornis,
Indomitiq; Dacæ, & pontem indignatus Araxes.
Talia per clypeum vulcani dona parentis
Miratur: rerumq; ignarus, imagine gaudet:
Attollens humero famamq; & fata nepotum.

Et alibi de Turno:

Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæram
Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes,
Tàm magis illa fremens & tristibus effera flãmis,
Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
At leuem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, iam setis obsita, iam bos,
Argumentum ingens, & custos virginis Argus,
Cælataq; amnem fundens pater Inachus vrna.

Quòd si & hæc, & illa quæ præcesserunt insignia in Achillis clypeo cuiquam videantur, non tam insignium titulo insignienda, quam in Emblematum numero reponenda, habebit ille me aduersarium non admodum repugnantem, sed illud arctè tenentem tamen, omnia pęnè veterum insignia, rudia fuisse atq; inchoata, quemadmodum etiam & eorum symbola, ita vt picta potius Emblemata quædam videri possint, quam vel insignia elegantia, vel symbola absoluta. Quin illud ausim affirmare pleraque ista à veteribus excogitata, vel hoc vel illo nomine appellari posse, imo fuisse appellata. Inuenit antiquitas, posteri perfecerunt: Quorum accurata diligentia factum est, vt res ipsas habeamus & distinctius explicatas & proprijs pęnè vocabulis insignitas. Sint ergo ista heroum arma, vel insignibus vel Emblematum notis & symbolorum illustria, dummodò sint ista vel Emblemata, vel insignia ab Heroicis illis temporibus deducta. Neque vero in clypeis duntaxat & galeis impressa sunt olim à veteribus insignia, sed & naues etiam apud antiquos reperiuntur suis illustratæ notis & insignibus distinctæ. Prora illius nauis qua vecta est Europa depictam habuit tauri figuram, ex quo profluxit fabula, taurum Europam abstuliſſe. Neque solùm apud veteres erat hoc in more positum, sed per omnes ætates diffusum est deinceps, & ad nostras etiam naues distinguendas & illustrandas, à nostris hominibus accommodatum. Omitto nostras, quæ quotidie occurrunt oculis, redeo ad Romanas. Sic ergo in tristibus Ouidius.

Est mihi, sitq; precor, flauæ tutela Mineruæ
Nauis, & à picta casside nomen habet.

Et Virgilius de AEneæ nauibus 5. AEneid:

Velocem

Velocẽ Mneſtheus agit acri remige Priſtin. et ibidẽ.
Ingentemq; Gyas ingenti mole Chimerã. atq; alibi.
Sergeſtuſque, domus tenet à quo Sergia nomen,
Centauro inuehitur magna: ſcillaq; Cloanthus
Cærulea genus vnde tibi, Romane Cluenti.

Vbi nominũ imponendi ratio à rebus petita eſt, quarum imagines in ipſis nauibus conſpiciuntur. Hinc illa nomina, Priſtis, Chymæra, Centaurus, Scylla.

Atque iſta dicta ſint de antiquitate inſignium. Quòd autem eorum vſus latiſsimè pateat, & per omnem fere terrarum orbem diffundatur, exempla proferri poſſunt ad id confirmandum pænè infinita. Pauca è multis excerpam. Phrigij ſuem, Armenij arietem; Scythæ fulgur; Perſæ arcum: Cilices caput armatum, Thraces Martem; Phænices Herculem, AEgiptij ibidem: Mileſij leonem: Athenienſes noctuam: Corinthij Pegaſum: Peloponneſij teſtudinem: Itali equum habuerunt: Anglia crucem: Venetię leonem cum libro, diuo Marco conſecratum: Genoa S: Georgiũm equo inſidentem. Senenſes lupam: leonem Florentini.

Quinetiam teſtis eſt Plutharchus in Mario, Cimbros & Teutones, etſi immanitate planè barbari extitiſſent, ſuis tamen in peltis, ſcutiſque & alijs bellicis inſtrumẽtis, depictas ferarum imagines circumtuliſſe, & armorum ſplendore intuentium oculos perſtrinxiſſe: Amphiaraus apud Pindarum perhibetur pictum draconem in clypeo geſsiſſe, in expeditione Thebana. Narrat Statius Capaneum in ſcuto hydram propoſuiſſe; Sphinga Polyincem. Agamemnon in bello Troiano pictum habuit in ſcuto leonem, cum epigrammate.

οὗτός μεν φόβος ἐστὶ βροτῶν, ὁ δ' ἔχων Ἀγαμέμνων.

Vliſſes delphinẽ & Typhonem ore fumos efflantem: Perſeus Meduſę vel gorgonis caput: Antiochus leonem cum Caduceo: Theſeus bouem: Seleucus taurum: Auguſtus ſphynga; Męcenas ranam; Papirius Curſorius Pegaſum: Veſpaſianus Gorgona: Darius, qui ſibi totius orbis victorias proponebat, pallam geſtare ſolitus eſt auro diſtinctam, quam aurei accipitres tres, velut roſtris inter ſe concurrerent, adornabant, literis, νικητικωτατος, inter alas, & ſingulorum caudas, interſertis. Pauſanias ait Idomenei clypeum gallo gallinaceo inſignitum fuiſſe, quòd is à Minoe & Paſiphae eſſet oriundus, quę ſolis filia fuit, cui gallum conſecrari conſtat, quod & ortum eius præſentiat, & cantu etiam indicet. Conſtantinus crucis ſigno vſus eſt. Notat Pierius, Perſarum milites gallos à Caribus appellatos eſſe, propter conos, quibus galeas ornatas habuerunt. Eamque ob cauſam Artaxerxes hominem è Caria, qui Cyrum iaculo vulneraſſe creditus eſt, eo honeſtauit præmio, vt gallum aureum in lancea præfixum, ante aciem præferret: ait Plutarchus.

Muſca etiam aliquando in Laconum clypeis inſigne fuit, quam cum quidam non omninò vera maiorem in parma figuraſſet, obijcienti; quòd latitandi cauſa id feciſſet, immò reſpondit, ſignum eſt, me tam proximè ad hoſtes accedere, vt muſca ab ijs internoſci poſsit. Hoc etiam Pierius.

Iſtis adiungam id quod Claudius Minos reliquit in Commentarijs ſuis in Alciati Emblemata. Sic ergo ille ex Pierio de Athenienſium, Arcadum, & Romanorum nobilitate diſputat. Apud Athenienſes Cicada nobilitatis inſigne habebatur. Aureas enim cicadas crinibus

bus inſertas habuerunt, vt ſignificarent ſe nobiles eſſe & indigenas. Nam id cicadis à natura tributum eſt, vt in ijs locis, in quibus primùm oriuntur, viuant & moriantur, neque ſolum mutent, aut nouas quærant commorandi ſedes: in omni autem ciuitate nobilitatis titulo inſigniuntur illi, quorum maiores in ijſdem ſedibus diutiſſimè floruerunt. Simile quiddam reperitur in Platonis Menexemo, Herodoti Terpſichore, AEliani quarto variar: hiſtoriar: libro. Quod tamen Antiſthenes irriſiſſe perhibetur apud Laertium lib. 6. Nam hoc illis dicebat eſſe cum cochleis commune, & teſtudinibus, quòd ſe patriæ limitibus ita circumſcribant, vt egredi nefas putent. Romani vero ſi qui nobiliores extiterunt, lunulas in calceis habuerunt. Hinc Iuuenalis de Fabio.

——— & nobilis & generoſus
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Philoſtratus narrat Herodem ſophiſtam fratri de nobilitate ſua & maioribus inſolẽtius multa proferenti dixiſſe, eum in talis habere nobilitatẽ. Quæ cauſa Romanos impulerit, vt lunulis vterentur, non eſt ſatis exploratũ, vſos tamen fuiſſe teſtantur Zonaras & Plutarchus. Siue ergo lunulæ iſtę Romanorũ imperij ſtatũ exprimant, ſenſim creſcentis, & paulatim etiam pereuntis, quod fit in lunæ hemyciclijs, ſiue cœleſtes illas animarum ſedes in luna conſtitutas ſignificent, lunamque ipſam ab ipſis heroibus poſt mortem pedibus quaſi conculcandam, ſiue hoc potius velint, eandem eſſe rerum humanarum, atque ipſius lunæ inconſtantiam & leuitatem; certum hoc eſt, conſuetudinem iſtam ab Arcadibus primo profluxiſſe, qui, cum poſt deluuiũ Deucalionis primi vidiſſent lunam orientem, ſe luna priores atque antiquiores puta-

putauerunt, ideoque lunulas in calceis vsurparunt. Hinc à græcis dicuntur προσελήνοι. Hinc Ouidius 2. fastorum.

Ante Iouem genitum terras habuisse feruntur
Arcades, & luna gens prior illa fuit.

Sunt qui ista referunt ad lunæ cursum ab Arcadibus primò obseruatum. Plura si quis cupiat, legat Plutarchum, qui alias huius rei rationes introducit in problemat:

Ex istis, id, opinor, efficietur, non solum diutissimè permansisse, & latissimè patuisse Insignium rationem, sed & eam fuisse vocis vim, vt omnes illas siue notas, siue signa nobilitatis, eruditionis, imperij, Ingenij, animi, comprehenderet.

Ponatur ergo hoc inprimis, & eos contraxisse vocis vim, qui ad sola vexillorum insignia restrinxerũt, & dilatasse nimis eos, qui omnia signa, insignia constituerunt, in quorum numero Cassaneus videtur reponendus. Melius fortasse dixisset & accommodatius, omnia Insignia esse signa, non tamen omne signum esse insigne. Quid enim? an illæ opificum tabernis inustæ notæ erunt insignia? an illæ suspensæ hederæ, non tam potantium indicia, quam philosophantium insignia existimari debent? an vilia scribarum sigilla, sordidæ artificum tesseræ, in horum ordine constituentur? Non opinor. Signa ergo sunt insignia, sed insignia signa. Neque illud tamen negamus, vnam & eandem rem & signum esse posse & insigne, & insigne & non insigne. Aquilæ effigies hospitis alicuius foribus affixa, signum est, sin vexillum ornet imperatoris, Insigne. Gladius, si lateri accommodetur, non erit insigne, si à rege teneatur, vel preferatur, Insigne est

regiæ

regiæ dignitatis, quod, non ineptè à Cassaneo videtur animaduersum.

Quæri hoc in loco potest, sintne ista insignia ad alios transferenda Dominos? quod quoniam commodè explicari non potest, nisi distinguantur insignium genera, & quia videtur hoc eodem planè modo quæri de armis posse, referemus eum qui ista cupiat cognoscere, ad armorum explicationem secundo in libro institutam.

Veniam itaque nunc ad exponendam insignium varietatem, quorum quædam eiusmodi sunt, vt deorum propria videantur, quædam ad homines pertinere.

Deorum insignia illis Priapi carminibus continentur.

Fulmina sub Ioue sunt: Neptuni fuscina, telum;
Ense potens Mars est: hasta (Minerua) tua est.
Sutilibus Liber committit prælia Thyrsis:
Fertur Apollinea missa sagitta manu.
Herculis armata est inuicta dextera claua,
At me terribilem ———

Et ea quæ sequuntur in eodem loco, quæ malo in tacitis legentium cogitationibus relinquere, quàm in oratione mea ponere. Singulis ergo dijs sua insignia tribuit antiquitas: quæ, qualia sint, tum demum explicabimus, cùm deorum imagines, earumq; rationes latius exponemus. Hominum insignia non sunt omnia vnius generis. Nam vel ad pacem accommodari possunt, vel erunt militaria. Vtriusque autem generis plures sunt formæ. Quædam enim authoritatis & imperij symbola sunt, quædam nullo cum imperio coniuncta. Quemadmodum etiam aliud est imperium absolutum, nullisq; cancellis circumscriptum, aliud autem quod appellatur mistum, idq; tam

in ciuili politeia, quam in disciplina Ecclesiastica; eodem modo distincta sunt, & huius imperij insignia, tam ad ciuitatem, quam ad Ecclesiam pertinentia. Quæ vero eius generis sunt, quod est remotum à dignitate & imperio, varia sunt, pro varijs instituentium cogitationibus: quædam penè vulgaria, & quæ in homines cadere possint mediocris facultatis: alia vero singularia, alta, illustriã, & maximè honorifica, quæ rerum gestarum, excellẽtis alicuius virtutis, & ingenij diuinioris præmia sint, & quasi munera constituta. quæ quidem etsi nihil in se continere videantur imperij & autoritatis, plena tamen sunt honoris & dignitatis amplissimæ: atq; ista vel in totius regni luce constituta sunt, vel in spacijs versantur Academiæ. Hæc, illustria eruditionis indicia; illa, maximè honorifica diuinæ cuiusdam excellentiæ Insignia: Qualia sunt illa per totum terrarum orbem profeminata, de nouis militibus instituendis, regum & imperatorum decreta & edicta. De quibus omnibus cum exposuero, quid sentiam, non erit quod quis de hac re plura desideret. Ac primum quod ad illa sacerdotum insignia attinet, nemo est, cui Romani põtificis obscurum sit illud triplex Diadema. Sint ergo ista supremi pontificis propria, nemoq; audeat se in istius societatem gloriæ offerre. Nam quo iure hoc vendicet, non est huius loci & temporis, disputare. Sequuntur Cardinalium rubri Galeri, mitræque episcoporum.

Memoriæ mandatum est, Simeonem pontificia veste & insignibus ornatum, Alexandro occurrisse, eiusq; furorem retardasse: Eodem modo & Leo pontifex Attilam, & Benedictus Totilam mitigauit insanientem; quasi occulta quædam vis & maiestas in ipsis insignibus delitescceret.

Non

Non opus est vt nostrorum episcoporum insignia exponam, in promptu enim posita sunt: id potius dicam, quod esse potest ab imperitorum cognitione magis remotum. Tutulus primo dicebatur, qui nunc est titulus appellatus: erat autem capitis ornamentum quoddam, in sublime surgens, purpurea vitta redimitū, instar coni, galeriue rosarum. Eo sacerdotium significatur, ait Pierius. Quin & vxores, & ministræ flaminis, eo erant tutulo insignes: quod à Numa constitutum, narrat Petronicus. Pileus apud romanos sacerdotij quoq; symbolum fuit, ait Pierius (referri fortasis potest ad tutulum) ideoque nefas fuit, ait Fabius pictor, flaminem sub dio esse sine pileo.

Spicea corona fratres Aruales designabat: si vero spicea corona vitta alba illigata esset, Aruorum sacerdotes significabat, quorum id erat insigne.

Absynthium marinum (Seriphium vocant) sacerdotum Isiacorum insigne perhibetur: AEgyptij vero sacerdotes calceis papyraceis ornati sunt, quasi nobilitatis insignibus. Neque illis licitum erat, ex alia materia conflatos calceos vsurpare quàm ex papyro, quippe quæ puritatis & antiquitatis symbolum putaretur. Nigris autem vestibus, cum sacra ferrent, vtebantur, vt terræ colorem representarent.

Verùm ista prætereamus, & ad fontem, vnde hæc omnia profluxerunt, digitum intendamus. Quanqtam illud interim adijciendum videtur, non omnia Ecclesiastica insignia esse cum authoritate coniuncta, quemadmodum ea sunt, quæ proposuimus, sed reperiri longe plurima non tam alicuius imperij indicia, quam ordinis insignia. Sic nostri hodie prę sules vtūtur pileis, quos Quadratos vocant, quattuor veluti costis, instar mundi cardi-

num assurgentibus, diuisos, quomodo etiam & Academici. Fons autem iste, vnde manarunt sacerdotum insignia, diuina est institutio. Itaque non dubitat Lucas Contiles, præpotentem illum deum eorum autorem constituere. Quod, vt quale sit apertius videamus, adducam ea omnia, quæ à Philone Iudæo, in vita Mosis de hac re proferuntur. Sic ergo ille.

Vestimenta deinceps, pulcherrimam maximéque variam texturam habentia confecit artifex ei qui futurus erat princeps sacerdotum. Erant autem duplicia, nempe Tunica, & quod Superhumerale appellatur. Tunicæ forma simplicior erat, quippe quæ tota ex hyacintho constabat, præter infimas atque extremas oras, quæ malis punicis aureis, et tintinnabulis, et textura florida distinguebantur. Superhumerale vero præclarissimum opus, & artificiosissimum, perfectissima scientia fiebat ex generibus commemoratis Hyacintho & purpura, & bisso, & coccino, auróque intertexto. Laminæ enim in tenuissimos veluti crines diuidebantur, & cum reliquis filis cõtexebantur. Humeris autem summis precioſi lapides aptabantur, Smaragdi duo lucidissimi, quibus duodecim præfectorum tribuum nomina sena singulis erant insculpta. Et super pectus alij lapides precioſi coloribus differentes, sigilliſq; similes, & terni in ordines quatuor distributi, quibus id, quod Rationale dicitur, exornabatur. Rationale autem quadrangulum duplex efficiebatur, tanquam basis, vt duarum virtutum Declarationis, & Veritatis imagines gereret. Totũ vero duabus catenulis aureis Superhumerale suspendebatur, ne decideret. At lamina aurea in coronæ speciem efficta, quatuor nominis sculpturas continebat, quod quidem nomen nec audire nec legere cuiquam omnino in sanctis licebat,

niſi qui aures & linguam expurgatas habebat. Tetragrãmaton, hoc eſt, literis quatuor comprehenſum, illud appellat Theologus, vt fortaſſe ſint primorum numerorum notæ, Vnitatis, Binarij, Ternarij, & Quarternarij. In quaternario enim omnia continentur, punctũ, & linea, & ſuperficies, & corpus, quæ ſunt rerum omnium menſuræ, & qui ſunt in Muſica concentus optimi, diateſſeron, ratione ſupertertia; diapente, ſeſquialtera; diapaſon, dupla; diſdiapaſon, quadrupla. Verùm & alias habet virtutes inenarrabiles, Quaternarium, quarum plurimas in libro de numero perſecuti ſumus. Cæterum Mitra erat ſub ipſo, ne lamina caput attingeret. Cidaris item parata eſt, quam reges in Oriente pro diademate geſtare ſoliti ſunt. Talis erat amictus ſummi Pontificis. Quid autem, & totus, & ſingulæ partes ſignificent, ſilentio prętereundum non eſt. Totus igitur eſt imago & effigies mundi, partes ſingularum mundi partium ſimilitudinem præ ſe ferũt: Exordiundum autem eſt à Tunica, quę quidem veſtis, tota hyacinthina aerem refert; natura enim niger eſt aer. Aer ab ipſa, quæ poſt lunam eſt, regione, ad terræ terminos vſque paſsim diffunditur, quapropter & tunica à pectore ad pedes vſq; per totum corpus diffuſa eſt. Quòd autem in eius fimbrijs ſint flores & mala punica, & crepitacula; flores quidem indicant terram, ex qua florent & pullulant omnia: mala punica, propter humorem deſignant aquam, Crepitacula verò vtriuſque concentum & harmoniam: Etenim nec terra ſine aqua, nec aqua ſine terræ materia ad gignendum eſt idonea, ſed vtriuſque coniunctio atque concretio eſt neceſſaria. Quinetiam locus ipſe teſtis eſt huiuſce rei locupletiſsimus. Quemadmodum enim in extremis oris Tunicæ, ſunt mala punica, & flores, & tintinnabula, ſic etiam

tiam aqua,& terra,quarum notas illa præferunt,infimam in mundo regionem ſortitæ ſunt. Vniuerſique harmoniæ congruentes certis temporum conuerſionibus & conuenientibus tempeſtatibus, vires oſtendunt ſuas. Trium igitur elementorum,ex quibus,& in quibus omnia mortalia, caducaque genera conſiſtunt, aeris, aquæ, terræ ſignificationem habere Tunicam cum illis, quæ ex ipſa ſuſpenſa pendent, demonſtrauimus. Quemadmodum enim vna eſt tunica, & flores, ſic & dicta elementa vnius generis ſunt. Quandoquidem omnia luna inferiora, mutationibus & inuerſionibus ſunt obnoxia. Et quemadmodum ex Tunica pendent mala punica, & flores, ſic ex aere quoadammodo pendet aqua & terra. Harum enim vehiculum eſt aer. Superhumerale verò cœlum indicare,probabilibus vtentes coniecturis declarabimus. Primum quidem duo rotundi lapides ex Smaragdo ſignificant,vt quidam putant, inter ſtellas diei noctiſque principes ſolem & lunam: vel, vt quis ad veritatem propius accedens diceret,duo Hemiſphæria,quæ,vt iſti lapides,& æqualia inter ſe ſunt, tam illud quod infra terram eſt,quàm illud,quod eſt ſupra terram,& neutrum illorum, vt luna, minuitur,aut augetur. Hoc etiam viſus ipſe confirmat. Cœli nanque ſpecies Smaragdo videtur ſimilis. Neceſſario autem in vtroque lapide ſena inſculpuntur nomina, quoniam & vtrumq; Hemiſphærium, in duas partes ſigniferum ſecans,ſena recipit ſigna. Præterea duodecim lapides pectori appoſiti, coloribus inter ſe diſsimiles, & quadrifariam in ternos diſtributi, quid aliud ſignificant,quam ſigniferi circulum,qui quatuor in partes,terna ſigna ſingulas continentes, diuiſus,quatuor anni tempora conficit,ver,æſtatem,Autumnum,& hyemem, quatuor conuerſiones, quarum vniuſcuiuſq; terminus

minus terna ſigna agnoſcit, ſolis motu, ex certa & fixa, veréque diuina ratione numerorum? Quamobrem illi etiam aptantur, quod conuenienti nomine vocatur Rationale. Præfinita enim conſtantique ratione conuerſiones, & anni horæ conſiſtunt, &, quod maximè mirãdum eſt, oportuna commutatione ſtatum ſuum indicant ſempiternum. Benè etiam ac præclarè quadrat, quod duodecim lapides coloribus inter ſe diſcrepant, nec vllus alteri ſimilis eſt, quando ſingula quoque in ſignifero proprium quendam tum in aere, terra, aqua, ipſorumque affectionibus, tum in omnibus animalium plantarumque generibus colorẽ efficiunt. Nec abs re duplex eſt Rationale: duplex enim eſt ratio, tum in vniuerſo, tum in hominis natura. In vniuerſo quidem, altera incorporearum exemplariumque formarum, ex quibus numerus intelligibilis compactus eſt: altera viſibilium, quæ illarum imagines ac ſimilitudines ſunt, & ex quibus mundus hic ſenſibilis eſt confectus. In homine vero, vna quidem intima, ex qua tanquam ex fonte altera fluens emanat. Atq; illa quidem in regione ſua conſiſtens principatum obtinet, hęc autem emittitur, &, ad enunciandum, linguam, & os, & reliqua omnia propoſita habet vocis inſtrumenta. Figuram rationali quadrangularem adiunxit artifex, ſcitè admodum, innuens, & naturæ, & hominis rationem quacunque incedere, nec vſquam concuti aut dimoueri. Quocirca duas etiam illi virtutes tribuit, Declarationem, & Veritatem. Nam & naturæ ratio vera eſt, & cuncta declarat, & illius imitatrix humana ratio atque oratio meritò vel debet ab omni mendacio prorſus abhorrere, ac veritatis eſſe ſtudioſiſsima, & inuidia nihil obtegere, aut obſcurare, quorum declaratio prodeſſe diſcentibus queat. Duabus item rationibus, quæ in nobis

ſingulis

ſingulis ſunt,ei nimirum,quæ per orationem effertur, & illi quæ intrinſecus manet,duas virtutes proprias, priori quidem in eloquẽdo Declarationem; alteri autem in cogitãdo, Veritatem aſsignauit. Oportet enim vt nihil falſi cogitatio ſuſcipiat,& interpretatio nihil impediat,quò minus omnia diligentiſsimè declarentur. Rationis autem honeſta præclaraque grauiter explicantis nulla vtilitas eſt,niſi facta cõſequantur rationi cõſentanea. Quamobrem Humerali ſuſpendit Rationale,ne laberetur, abſurdum eſſe iudicans,ſi verba à factis ſeiũcta eſſent. Humerum enim actionis effectioniſque notam conſtituit. Quæ igitur per ſacrum amictum ſignificantur,hæc ſunt. Cidarim verò loco Diadematis imponit, indicans, deo ſacrificantem,quandiu quidem ſacrificat,cunctis prẽſtare, nec ſolum priuatis hominibus,verumetiam regibus. Verùm aurea lamina ſuperponitur, in qua literæ quatuor inciſæ ſunt, quibus eum, qui eſt, indicari tradunt, quoniã fieri nequeat, vt ſine Dei inuocatione quicquam conſiſtat,ab eius enim bonitate propitiáque potentia,rerum omniũ harmonia dependet. Sic exornatus ſacerdotum princeps ad ſacrificandum accedit, vt quando ſupplicaturus, & hoſtias immolaturus ingreditur, ſimul cum ipſo ingrediatur mundus vniuerſus, cuius partium ſingularium ſimilitudines ſecum affert, aeris quidem, Tunicam: aquæ vero,malum punicum: terræ,florem: ignis,coccinum: cœli,Superhumerale: duorum hemiſpheriorũ,duos in ſummis humeris Smaragdos,ſenas ſculpturas ſingulos continentes: ſigniferi, duodecim lapides, ordinibus quatuor,ſingulis ternos, comprehenſos. Rationis vniuerſum complectentis & gubernantis: Rationale. Neceſſarium enim erat,vt qui mundi parenti ſacrificaret, ad peccatorum veniam, affluentemque rerum

omnium

omnium abundantiam & copiam impetrandam, aduocatum virtute perfectiſsimum, filium adhiberet. Illud etiam fortaſſe præmonetur miniſter dei, vt, ſi mũdi opifice non poteſt, mundo ſaltem, pro viribus, continenter dignum ſe præbeat. Etenim cum eius imaginem induat, debet etiam animo ſtatim illius exemplum geſtare, & in mundi naturam quodammodo ex hominis natura ſeſe conuertere, atque ita, ſi fas eſt dicere, (cur autem nefas ſit, de veritate diſſerentem, non mentiri?) exiguus mundus euadere. Hæc Philo, Zino interprete, ex quibus apparet illud quod eſt à nobis anteà conſtitutum, ſacerdotum veſtes huiuſmodi notis illuſtres, ab ipſo deo profluxiſſe: neque enim eſt, quod quis eorum veſtes omnes in Inſignium numero reponat, ſed eas tãtummodo, quæ ſacerdotes à reliquis hominibus poſsint & ſoleant diſtinguere. Plura non opus eſt vt comportemus, vnum illud poſtremo in loco adijciam, quod à quibuſdam dicitur, ſerpẽtem etiam fuiſſe AEgyptiorum Inſigne ſacerdotum, qui oblongo inuolutus pileo geſtabatur: quaſi dicerent, ſi quis contra reges (penes enim ſacerdotes Ægyptiorum erat imperium) audeat inſurgere, ſciat ſe in venenatos morſus incurſurum. Manethon AEgyptius narrat, Oſcum, qui Tyrrhenis imperauit, Inſigne ſerpentis habuiſſe, quod eſt à Pierio introductum. Explicatis ergo illis quæ ſacerdotum propria videbantur, pergamus ad cætera, eaque primùm, quæ pacatis temporibus ſolent eſſe ſæpius illuſtriora.

Faſcia ſiue Diadema imperatorum inſigne fuit, faſciam iſtam, græci, & albam fuiſſe volunt, & à libero patre inſtitutam.

Diadema dicitur à διαδέω, circundo.

Diademati, ſiue Faſciæ adiunguntur, Purpura, Sceptrum,

trum, Orbis crucem ſuſtinens in leua manu, in dextra verò gladius. Atque hoc ipſum videtur à natura pene inſtitutum: Rex enim Apium, vt eſt apud Plinium lib. 11. cap. 16. habet in capite candidum quoddam quaſi Diadema, coronæ ſimile. Ordo rerum indicat deum, nec ordo vel cogitari poteſt, ſine iſta Inſignium ratione, qua reges & à cæteris diſtinguntur ſingulis, & coluntur ab vniuerſis. Quis eſt autem tam cæcus, qui non videat, vniuerſum hoc, quaſi pulcherrimum diuinæ bonitatis amphitheatrum ſuis Inſignibus eſſe illuſtratum? cœlum ſtellis & aſtris inſignitum eſt, ignis, aer, aqua, ſuis ſunt quaſi notis inuſta.

Præſentemque refert vna vel herba deum.

Aurea regum corona Contili videtur gloriam ſignificare: Sceptrum, iuſtitiam: gladius, regni defenſionem: annulus fidem: armillę, fortitudinem: purpura, reuerentiam: ſolium, maieſtatem.

Quantus ſit à maioribus noſtris habitus inſignibus honos, teſtantur ea, quæ ſolita ſunt ab ijſdem adhiberi, cùm regis alicuius capiti corona imponeretur.

Richardus tertius, cum eſſet ad ſupremum illum regiæ dignitatis gradum euehendus, vna cum vxore ſua profectus eſt, ſubſtrato pedibus panno, ad celeberrimum illud diui Edmundi monumentum.

Quos, nobiles omnes & clericorum illuſtriſsimi comitati ſunt. Tubicines primo in loco ſunt conſtituti. Secuti ſunt ij, quos Heraldos appellamus, ſuis iam veſtibus inſignitis, & quaſi pictis illuſtres.

His acceſsit Crux, ſolenni, quam vocant proceſsione, à clericis circunducta: quo in loco Sacerdotes, Abbates, Epiſcopi, illuſtriſsimis & veſtium & inſignium notis conſpiciendi apparuerunt.

Car-

Cardinali progredienti crucem præferebat Roffenſis epiſcopus. Secutus eſt comes Huntingtoniæ aurata gerens calcaria, Militaris Inſignia diſciplinæ. Tum comes Bedfordiæ, qui baculum D. Edouardi, quaſi monumentum aliquod circumtulit honorandum.

Obtuſus autem enſis, clementiæ ſymbolum, à comite Northumbriæ, nudato capite ferebatur.

Poſt hunc ſecutus eſt Dominus Stanleius, qui & ipſe quoddam geſsit Coneſtabulatus Inſigne, aureum ſcilicet clauum.

Comes deinde Cantij, lateri adhæſit regio à dextra conſtitutus, prætulitque enſem acutum nudum, eius inſigne iuſtitiæ, quæ laicis, vt loquuntur, exhibetur. A ſiniſtra verò D. Louellius, tertium enſem geſtauit, acutum itidem, qui ſignum eſſet iuſtitiæ in Clericos exercendæ.

Succeſsit dux Suffolcienſis, Sceptrum gerens regium, inſigne pacis, comeſque Lincolnienſis, qui crucem in orbe quodam globoque poſitam circumduxit, Monarchias indicium.

Ante regem proceſsit comes Surreius, quartumque tulit enſem ſplendidiſsima vagina incluſum, qui Maieſtatis ſtatuſque gladius appellatur. Regem ponè ſequebatur dux Buckinghamius, & veſtes eius in terram fluẽtes leuauit, virgamque candidam habuit, totius Angliæ archioeconomi, vel magni magiſtri inſigne.

Reginæ verò procedenti, vicecomes de Liſle præferebat virgam alba columba inſignem.

His in hunc modum inſtitutis vngebantur Rex & regina certis quibuſdam locis eam obcauſam nudatis & apertis. Tum deniq; regi ſceptrũ leuàm in manũ tradiderunt, crucemque globo inſiſtentem in dextram: reginæ

verò ſceptrum in dextram, in ſiniſtram denique candidam columbam virgæ inſidentem. Atque hæc ea ſunt, quæ à noſtris obſeruari, hiſtoriæ tradiderunt. Erat apud Romanos aquila imperij inſigne, quę autem ratio ſit, cur hodie biceps circumferatur, non ſatis adhuc eſt explicatum. Id mihi videtur rationi maximè conſentaneum, Aquilam duobus inſignem capitibus, ſpeciem quandam prę ſe ferre imperij deinceps bipartiti, Orientis & Occidentis. Purpura verò Tribunorum inſigne fuit, idque tum demum cum in ſenatu ſederent Tribuni: quorum poteſtas etſi non abſoluta fuerat, latiſsimè tamen ſeſe diffundebat. Inſignibus fere ijſdem vſi ſunt cõſules, quibus illi primi Romanorum reges. Sella curuli, faſciculo virgarum, ſecuri. Romulus enim vt regiæ maieſtati honos haberetur, ſplendidiore corporis cultu, atque alijs quibuſdam inſignibus, auguſtiorem ſe populo reddidit. Indutus eſt enim veſte purperea, quam Trabeam vocãt. Plinius lib. 8. Trabeis vſos reges accepimus, & lib. 9. Romulus purpura vſus eſt in trabea, & Plutarchus: Romulus ſedit ἀλουργίδι, id eſt, purpurea veſte ornatus. Hãc etiam vt prætextam quoque & togam pictam ab Etruſcis ad Romanos tranſlatam ſcribit Florus. Præter reges etiam conſules trabeam vſurparunt vnde, Virgilius lib. 8

Ipſe Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Inſignis reſerat ſtridentia limina conſul.

Et Claudianus in panegyrico ſecundo:

Quo tandem flexus trabeas authore rogantes
Induerit: faſtiſque ſuum conceſſerit annum:

Hoc item Liuius teſtatur lib. 32. Conſul vere primo in continentem trabeatus ad hoſtem pergit. Neque ſolùm conſules, ſed & Equites. Valerius de inſtitutis. Equites

quites trabeati Idibus Quinctilis trãſuehi ſoliti. Tacitus lib. 3. in funere Germanici atrata plebs, trabeati equites fuerunt. Cinctus autem ille Gabinus à virgilio introductus, qualis fuerit, explicat Seruius, eum verſum exponens, quem protuli. Gabinus cinctus eſt toga ſic in tergum reiecta, vt vna eius lacinia à tergo reuocata hominem cingat. Hoc autem veſtimenti genere vtebatur conſul bella indicturus, ideo, quia cum Gabij Campaniæ ciuitas ſacris operaretur, bellum ſubitò venit: tum ciues accincti togis ſuis, ab agris ad bella profecti ſunt, & adepti victoriã. Vnde hic eſt ortus mos. Itaq, Liuius lib. 8. de Decio conſule ſe deuouente: Ipſe, inquit, incinctus cinctu Gabino armatus in equum inſiluit, & ſe in medios hoſtes immiſit. Trabearum, inquit Seruius, tria genera: vnum, quod dijs ſacratur, & eſt totum purpureum: alterum quod eſt regum, quod eſt purpureum, ſed habet aliquid albi. Tertium augurale eſt, & purpura & cocco mixtum: hanc ergo Romulus inueniſſe fertur, ait Iſidorus. Adiunxit & ſellam curulem, qua vectus, duodecim lictores, ſuccinctis veſtibus, expeditos ad plectendos facinoroſos habuit, qui præibant gerentes faſciculos virgarum, inter quas obligata ſecuris erat, ſic vt ferrum in ſummo faſce extaret, cuius rei cauſam Plutarchus oſtendit in problematibus. Nimirum, inquit, hoc indicium eſt, magiſtratuum iram promptam ac ſolutam minimè eſſe oportere. Aut certe ideo id conſtitutum eſt, vt mora tantiſper magiſtratuum iræ fiat, dum virgę diſſoluantur: id quod ſæpiſsimè pœnitentię occaſionem magiſtratibus attulit. Quoniam autem mali partim ſunt, omni diritate atque immanitate teterrimi, partim eiuſmodi vt ab inſtituto vitæ genere reuocari poſsint, vt virgæ his admonendis, ſic ſecures illis è medio tollendis ſunt inſtitutæ.

Adijciam è Carolo Sigonio pauca de paludamento & toga purpurea, candida, atra, prætexta, picta, palmata, triumphali, etsi ex istis quædam ad belli tempora pertinere videantur. Paludamentum ergo fuit toga imperatoria, non solum purpura, sed cocco etiam auroq; distincta, vt scripsit Isidorus. Plutarchus purpuream, Silius coccineam appellauit, græcè chlamys dicitur.

Toga vero picta, primùm purpurea, deinde picta, item palmata, ac triumphalis appellata est: purpurea, quòd tota coloris esset purpurei: picta, quòd in ea imagines aliquot acu depictæ essent: palmata, quòd victorias cum palmis intextas haberet: triumphalis, quia ea triumphantes ornarentur.

Si petendi honores erant, candidam togam induebant, eaque signum erat petitionis, hinc, qui peterent, candidati appellantur. Toga vero pulla fuit atri coloris, quam induebant luctus, & reatus causa: tumque dicebantur, veste mutata: in luctu autem atrati, in reatu sordati appellabantur.

Restat prætexta, quæ quidem alba erat, sed cui purpura, vt inquit Macrobius, erat prætexta, id est, quæ in ora habebat purpuram, vnde eam græci scriptores περιπόρφυρον vocant, id est, circumquaque purpuram habentem; hæc verò fuit puerorum vsque ad annum 16. qui annus tyrocinij dicebatur. Tum vero togam virilem, puramque sumebant in capitolio. Fuit etiam magistratuum, sacerdotum, & eorum qui publicum munus curarent.

Iam quod ad tunicam attinet, Senatores & equites tunicam clauatam induerunt, plebs rectam, & sine clauis. Clauata tunica fuit, quæ clauos purpureos intextos habuit, aut latos, aut angustos. Fuerunt autem clauui,

ui, quasi flores panno intexti. Cæterùm tunica latos clauos purpureos intextos habens, quæ & latus clauus, & tunica laticlaui dicta est, propria fuit senatorum, atque amplissimi ordinis insigne, quo ab equitibus distinguebantur, quorum angustus erat clauus. Hinc senatores laticlauij, equites romani anguſti clauij dicebantur. Vt autem toga picta olim purpurea, pòst picta fuit, sic tunica socia pictæ togæ olim latus clauus, pòst palmata, à genere picturæ vocata est, & simul cum toga picta triumphantibus data. De calceis antè dictum est. Quemadmodum autem angustus clauus distinxit equites a senatoribus, sic a plebe annulus aureus. Itaq; Liuius Magonem Pœnum tres modios annulorum, ab Annibale de clade Cannensi collectos, missosq; Carthaginem, in curia Carthaginensium effundentem dixisse, refert, neminem nisi equitem atque eorum ipsorum primores aurei annuli ferre insigne. Quod tamen glorioſè ab eo dictum putat Plinius, qui annulos etiam senatoribus cum equitibus fuisse communes scribit. De bulla in hunc modum Pierius. Bulla apud Romanos cordis effigiem habuit: Hetruscorum gestamen erat, ab Lucamone Hetruscorum duce, quem Romulus tam condendæ quam instituendæ vrbis socium habuit, acceptum. Ea videtur instituendi ratio, vt ingenui pueri figuram huiusmodi de collo suspensam ante pectus inspicientes, cogitarent se tum demum homines futuros, si corde præstarent: vnde Tarquinij Prisci filius 14 annos natus, hoste cæso, primus omnium ea ætate, bulla donatus est. Sunt qui deducant ἀπὸ τῆς βουλῆς, quia pueri consilio sunt regendi. De Bulla persius.

Cum primum pauido custos mihi purpura cesſit,
Bullaque succinctis laribus donata pependit.

Et

Et Cicero in Verrinis, Bulla in toga prætexta erat ornamentum pueritiæ, indicium atque insigne fortunæ. Diodorus signũ id varijs fuisse ornatum gemmis profitetur; Ingenui auream, Libertini scorteam gestarunt bullam. Vnde Inuenalis.

——————signum de paupere loro.

Ista de maribus dicta sint. Fœminarum nostrarum propria sunt Gremialia, quæ appellãtur. Zona olim virginum erat, tam apud Græcos, quam Latinos Hebreosque. Noua nupta cingulo præcingebatur, ex lana ouilla confecto, quod vir prima nocte, in Deæ virginalis honorem, sponsæ accubans in lecto soluebat. Vnde illud Ouidij.

Castaque fallaci zona recincta manu.

Et Homeri. λυσε δὲ παρθένιλω ζώνην. Quin & flammeo noua nupta olim cooperta ducebatur ad virum. Crocei coloris id plurimum fuisse comperio, ait Pierius, vt apud Maronem.

Vt tibi Coricio glomerarem flammea luto. Et alibi.
Et circumtextum croceo velamen acantho:
Ornatus Argiuæ Helenæ, quos illa Micænis
Pergama cùm peteret, inconcessosque hymenæos
Extulerat, Matris Ledæ mirabile donum.
Erat pudoris velamen. Hinc illud Claudiani.
Flammea sollicitum præuelatura pudorem.

Vnde in nummis sæpissime reperias, velatam faciem cum inscriptione pudicitiæ. Alij vestem esse volunt, alij tegmen. Dictum est a Flaminica Flaminis vxore, boni ominis gratia, quippe cui adeò iniũcta erat pudicitia, vt

diuortium

diuortium facere non liceret illi vni. Verùm sentio me in vestium naturis exponendis, longiorem fuisse, quàm instituti ratio postularet, breui ergo perstingamus, quæ de Armillis, Phaleris, & Torquibus tradit Pierius. Erant igitur ista fortitudinis præmia & insignia, vt Plinius & Gellius tradiderunt. Itaque Sicinius Dentatus donatus dicitur Torquibus ter & sexagies, Phaleris vicies quinquies. Sic apud Tranquillum legitur, C. Caligulam veterum familiarum insignia nobilissima cuiq; ademisse, Torquato torquem, Cicinnato crinem, Pompeio, Magni cognomen.

Armillæ ab armis, quia veteres humeros cum bracchijs (nam vtrosque ornant armillæ) armos vocabant. Liuius 10. ab vrbe condita scribit post victoriam è Samnitibus, à Papirio, armillis aureisque coronis donatos fuisse, Sp. Nantium, Sp. Papirium, & quatuor Centuriones, manipulumque hastatorum. Hæc ferè ille. Quæret fortasse hoc loco aliquis, quid sibi voluerint veterum imagines, passim à scriptoribus celebratæ? cui sic dubitanti, etsi tum responderi commodius posset, cùm de armis gentilicijs instituatur disputatio, quia tamen videntur ista cohærere & coniuncta esse maximè, arma & insignia, non erit admodum alienum, si in aggerem ea comportemus, quæ præclarè sunt explicata à Sigonio secundo in libro de antiquo iure Romamnorum Cap. 22.

Nam qui maiorum suorum habuerunt imagines, ij nobiles, qui suas tantùm, ij noui; qui nec maiorum nec suas, illi demum ignobiles appellati sunt Ex quo efficitur, ius imaginum nihil esse aliud, quàm ius Nobilitatis. Etenim vt Imago à magistratu proficiscitur, sic Nobilitas ab Imagine: vnde etiam sæpe imagines pro nobi-

litate sunt positæ. Est autẽ imago, vt præclare libro sexto Polybius, insignis alicuius viri simulachrũ, orisq; similitudinem artificioſè effictam, coloribus pigmentisque adumbratam referens, quod in insigniori & celebriori domus parte positum ligneo armario includebant. Imaginem autem sui ponere non temere omnibus licuit, sed ijs tantùm, qui magistratus curules gessissent, quorum primus fuit Aedilitas. Ex imaginibus ergo, nobilitas familiæ ducta est. Nobiles enim (vt dixi) fuerunt, qui maiorum suorum imagines ostendere potuerunt. Hinc Cicero in Pisonẽ. Obrepsisti ad honores cõmendatione fumosarum imaginũ. Et Iuuenalis in nobilitatẽ maiorũ imaginibus partam, ita satyra sexta est inuectus.

Stẽmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Maiorum, & stantes in curribus Aemilianos?
Et Curios iam dimidios? nasumque minorem
Coruini, & Galbam auriculis, nasoque carentem?
Quid fructus generis tabula iactare rapaci,
Fumosos equitum cum dictatore Magistros?

Has autem imagines primi patricij posuerunt, quod ijs primis curules magistratus, vt consulatus, censura, prætura, Aedilitasq; patuerunt, vnde ius imaginis fuit. Itaque Patricij etiam primi nobiles habiti sunt, vnde aliquando etiam nobilitas pro patriciorum factione est vsurpata. Pòst autem vbi plebs eosdẽ patricios magistratus est nacta, tum & ipsa imagines ponere, easque relinquere cum nobilitate posteris suis cœpit.

Vt autem nobiles dixerunt, qui maiorum imagines habuerunt, sic ignobiles, qui ijs caruerunt. Vt Suetonius in

in Vespasiano; Flauia gens obscura, ac sine vllis imaginibus. Iam vero qui primi ex familia sua magistratus curules gesserunt, ac imaginem sui prodiderunt, eos nouos homines, quasi generis ac posteritatis suæ principes appellarũt, vt M. Catonem illum Censorium. Nam pater eius ignobilis, ipse nouus, posteri eius nobiles extiterunt. Est autem nouitas inter nobilitatẽ & ignobilitatem interiecta. Cum autem procedentib. temporibus multæ plebeiæ familiæ prætoriæ, consulares, ac triumphales essent, factũ est, vt plebs, in duas quasi partes abierit. Quarum vnam tuebatur nobilitas, quę ex patricijs & plebeijs nobilibus familiis constabat, alteram plebs, quæ obscurissima, & nullarum imaginum erat. Atq; hęc quidem de nobilibus. Redeo ad imagines, vnde nobilitas ipsa fluxit: has ergo qui habuerũt, eas summo studio coluerunt, & conseruarunt. Narrat enim eo, quem supra commemoraui loco, Polybius, festis eos diebus apertis armariis illas exornasse. Cum verò ex domesticis quispiam esset mortuus, in funere extulisse, addito, vt magnitudine quàm simillimæ apparerent, reliquo corporis trunco. Vestibus autem exornatas, si consulares aut cum imperio fuissent, prætextis, si censorii; purpureis, si triumphales, auro intextis, atque curru, fascibus, & securibus, aliisque magistratuum insignibus prælatis, in rostra esse perlatas. Itaque Inuenalis.

Tota licèt veteres exornent vndiq; ceræ
Atria, Nobilitas sola est, atq; vnica virtus.

Sed hæc quidem ex virtute ducta nobilitas, tota philosophorũ est, vt quæ ex imaginibus, populi Romani est vniuersa. Hæc ferè, etsi non hoc ordine prolata, reperiuntur apud Sigonium. Eadem penè ratio est armorum

morum quæ vocant gentilitia, vtî ſuo loco dicetur à nobis explicatius. Neque verò Romani tantùm conſules ſecuribus vſi ſunt, quod eſt iam antè poſitum, ſed & Lybiæ etiam reges, quorum id inſigne fuiſſe perhibetur. Et quia iampridem delapſa eſt oratio noſtra ab ijs inſignibus, quæ cum imperio coniuncta ſunt, non præteribo illud quod in Saleuci nummis reperitur. Nam cùm is anchora ſignatum femur habuiſſet, cum primùm in lucem æderetur, idcirco & nummos anchora inſigniuit: filijque & nepotes eius, eodem inſigniti modo, anchorã in femore, veluti notam generis naturalem habuêre. Simile quiddam eſt, quod à Picrio ſcribitur de Epaminonda, qui ad Mantineam tam fortiter pugnando occubuit, cuius inſigne draco fuiſſe dicitur. Eo verò loco, vbi prælium commiſſum eſt, columnam erexit antiquitas, cum clypeo draconem in eius memoriam ſculptum oſtentante. Quod Pauſanias ideo factum arbitratur, quod is ex Spartiatarum cognatione, quæ Thebis erat antiquiſsima, progenitus diceretur, quorum id gentile eſſet Inſigne: quippe quod ex draconum dentibus, quos Cadmus ſeuerat, oriundi eſſent. Neque illud videtur ſilentio prætereundum, Aquilam quæ Draconem arreptum geſtet, Lacedæmoniorum rempublicam demonſtrare, huiuſmodi enim ſigno literas illi publicè obſignabant. Tradit hoc Ioſephus, vbi literas Lacedæmoniorum recitat, ab Arie eorum rege, ad Hebræos, Onia pontifice, datas: quorum ſententia ea erat, vt profiterentur Lacedæmonij ſe per Abrahamum, Iudæorũ eſſe conſanguineos, proinde gentẽ ipſam hortabantur, vt quę Lacedæmoniorũ eſſent, pro veteri conſuetudine cõmunia ducerent. Epiſtolam Ioſephus ait cõplicatã figura quadrangula fuiſſe,

eóq;

eoq; obſignatam argumẽto quod ſupra poſuimus. Quin & Clearcho Heraclienſium tyranno, qui Iouis ſe filium dixit, in publicum prodeunti, aurea aquila, velut argumentum generis præferebatur.

Molles Perſarum reges ſelectorum ſuorum, mille numero, thoraces malis Inſignire ſoliti ſunt, quam ob cauſam Melophori appellabantur.

Macedo Herculis comes, qui ſub Oſiride militauit, lupi geſtamine delectabatur: iſta à me ideo colliguntur vt exemplorum varietas probet quod propoſui, idque cum delectatione quadam & iucunditate.

Neque vero ab hoc loco videri debet alienum, ſi quæ fuerint apud veteres, legatorũ inſignia doceamus. Nam qui hodie legati exteras terras obeunt, literas duntaxat habent, ad id quod agunt accommodatas.

Caſſaneus ait græcorum legatos herbam Critiam pertuliſſe, Romanorum, verbenas, qui reuerſi, inſignia depoſuerunt. Certum id eſt, Oliuę vel Lauri ramum eos geſsiſſe, eumque lana, vt nonnulli volunt, inuolutum. De primo, Virgilius in hunc modum 7. AEneid.

Tum ſatus Anchiſa, delectos ordine ab omni
Centum oratores Auguſti ad mœnia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaq; ferre viro, pacemq; expoſcere Teucris.

Et 11. AEneid.

Jamque oratores aderant ex vrbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes.

Indi Anchoram pro Caduceo habuêre, eo quod (ait Philoſtratus) omnia tentet ac perueſtiget, itaque cùm Apollonius ad eum locum quem Indi ſapientes incole-

bant, appuliſſet, adoleſcens eum adijt à ſapientibus miſſus, qui auream Anchorã pro Caduceo manu geſtauit, perque eum in colloquium adductus eſt. Etſi ſciam aliud eſſe Caduceatoris, aliud legati officium, vterque tamen videtur ſuis inſignibus à veteribus illuſtratus.

Quemadmodum autem Romani quædam inſignia, non tam ad imperium ſignificandum adhibuerũt, quàm ad virtutes exornandas, ſic & alij etiam populi eodem modo. Hinc illa coronarum profluxit varietas, quæ in Plinio, Blondo, Gellio, Volaterrano reperiuntur, de quibus ſuo loco. Hinc plurima tum in Academijs, tum in ciuitatibus, eruditionis indicia, & diuinioris ingenij ſymbola. In academia noſtra Cantabrigienſi ſua ſunt inſignia quædam, quibus Sophiſtæ (quos vocant) diſtinguntur ab artium Baccalaureis, hi à Magiſtris, Magiſtri à Doctoribus. Imo certa ſunt et definita ipſarum artium vel ſaltem artes docentium ſymbola. Quibus ablatis, pulcherrimum meherculè tolleretur academiæ ornamentum. Honos enim alit artes: artium autem iſta non ornamenta ſolùm ſunt, ſed præmia ſingularia. Alciatus in parergis lib. 8. inſignia doctoratus explicat, librum apertum, clauſum, annulum, pileum, cingulum, oſculum, & eiuſdem generis alia. Reſtat vt de celebertimis illis militum ordinibus verba faciamus, ab illuſtriſsimis heroibus olim inſtitutis. Quorum omnium antiquiſsimi ſunt illi milites à præpotenti illo rege Arthuro inſtituti, qui Orbicularis menſæ milites appellãtur. Etſi enim res ſit fabulis obſcurata, & à noſtra memoria propter vetuſtatem remotiſsima, vera tamen eſt, & omnium ferè gentium & literis & linguis celebrata. Quod ſi quis vel de rege ipſo dubitet, vel de menſa à rege inſtituta, videat eum librum, qui inſcribitur, Aſſertio Arthuri. Imo reliquias

quias quaſdam eius menſæ intueatur, quæ Vindeſorij conſeruantur.

Veniam ad ea quæ propius accedunt ad ætatem noſtram, ac primo in loco occurrunt, Milites ab Eduardo tertio illuſtriſsimo Anglorum principe introducti, anno à Chriſto, 1349. quod quidem quaſi militum collegium, quadraginta equitibus conſtabat, vt vetuſtiores quidam annales habent. Polydorus tamen ſex & viginti duntaxat agnoſcit. Hos enim rex ille Periſcelide inſigniuit, quæ auro gemmiſque conflata, læuum circundat crus, verbaque iſta continet, *Honi ſoit, qui mal y penſe.* Diuo Georgio cõſecratus eſt ordo, cui Vindeſorij à rege Eduardo templum extructum eſt magnificè, multiſq; muneribus locupletatum.

Iohannes Gallorum rex, Eduardi gloria cõmotus, inſtituit ordinem equitum Stellæ. Eorum enim inſigne erat ſtella in pileo eminens. Sacratus eſt ordo tribus illis, vt à quibuſdam recenſentur, Magis, qui ad Chriſtum honore proſequendum, ab Oriente profecti ſunt. Verùm belli difficultatibus implicatus Iohannes, quod inſtituit, perficere non potuit. Itaque hic ordo paulò poſt euanuit. Verba iſta erant.

Monſtrant regibus aſtra viam. Inſtitutus eſt circa annum 1350.

Deinceps verò Amadeus Sextus, comes Sauoiæ induxit ordinem Annunciationis, anno 1409. qui virgini Mariæ dicatus eſt, ob eamq; cauſam inſtitutus, vt Amadei primi qui Rhodũ non minori cum fælicitate, quàm fortitudine contra Turcas defendit, memoria celebraretur. Torques erat ex aureis conflatus laminis, quæ paruulis conſtrictæ catenulis cohærebant, continebantque quatuor has literas interiectas. F. E. R. T. hoc eſt, fortitudo

titudo eius Rhodum tenuit. Pendebat autem ex ipsa catena, Mariæ Imago ab Angelo salutata.

Anno 1429. Phillippus Burgundiæ dux equites velleris aurei introduxit, eiusque patronum esse voluit D. Andream. Post hos secuti sunt ij, quos Lodouicus vndecimus Gallorum rex constituit. Is anno 1469. Ambasiæ, ordinem diui Michaelis produxit, de quo sic Vincẽtius Lupanus. Initio fuit cohors ista & quasi societas quædam triginta sex regni procerum, inculpatorum equitum, dicta à diuo Michaele societatis præside, cuius ipse rex κορυφαῖος est: quibus mos est gestandi quotidiè conchiliatum torquem ducentorum aureorum: quem donare, vendere, oppignerare fas non est.

Anno 1568. Alfonsus Ferdinandi filius ordinem introduxit, quem Sansouinus vocat ordinem della banda. Habuerunt enim huius ordinis equites fasciam quandam rubram, tres digitos latam, quæ quasi stola à finistro humero sub dextrum brachium adducebatur.

Anno 1578. Henricus tertius, Gallorum rex, ordinem adiecit quem vocat Sancti Spiritus. Celebratur tempore Pentecostes: quo die rex ipse natus est, regnumque consecutus. Isti omnes sunt longè honoratissimi: sequuntur ij, quorum insigne est crucis figura, qui omnes sunt Ecclesiastici. Nam postrema est eorum dignitas, qui aureis donati calcaribus, Milites vulgò appellantur. Etsi & iste tamen ordo virtutis præmium esse debeat, non diuitiarum insigne. Verùm aurea nunc vere sunt sæcula. Ecclesiasticus primus is est qui Hierosolymitanus appellatur. Ipsique milites, nunc Hierosolymitani, nunc Rhodij, postremo & Maltenses dicebantur. Primi nominis ratio deducta est ab illo hospitio Hierosolymitano; à Christianis extructo, D. Iohanni Baptistæ consecrato,

quo

quo peregrini exciperentur. Cuius rector Gerardus nigra veste vtebatur, alba cruce insignita, eamq; in pectore gestauit, eodemque modo & omnes eius Hospitii socii. Quod quidem collegium ab eo inchoatum, à Papis deinceps confirmatum est, amplificatum & locupletatum à principibus. Anno 1308. Rhodum à Turcis direptam adiecit illis Papa Clemens quintus, vel vt alii existimant, Gotfredus rex Hierosolymitanus. Hinc Rhodii nominati. Verum anno 1523. victi à Turcis Maltam concessêre, militesque Maltenses deinceps appellati sunt. Mortuo Gotfredo, & regnante iam Baldouino, Gonfredus quidam & Hugo iuuenes nobilissimi, societatem inierunt, idq; sibi proposuerunt, vt viam peregrè profectis tutam præstarent, & hospites exciperent, qui quòd in templo consederunt. Templarii dicti sunt. Horum societatem primum confirmauit Honorius Papa, precibus inductus Stephani Patriarchæ Hierosolymitani, deditque vestem albam. Quibus postea Eugenius tertius crucem adiunxit in pectore rubram. Mansit hæc societas vsque ad annum 1310. quo tempore Clemens Papa qui tum sedem habuit in Gallia, Philippi Gallorum regis suasu, eam funditus euertit, eiusq; collegia per orbem dispersa, labefactauit.

Milites Teutonici à Teutone quodam nobili instituti sunt, qui mansit Hierusalem, struxitque hospitium virgini Mariæ sacrum. Vnde & milites virginis Mariæ dicebantur. Eorum vestis erat alba, crucemque in pectore nigram habuerunt. Neque quisquam nisi Germanus, idemque nobilis in horum erat numero reponendus.

Anno 1170. in Hispania cœpit ordo militum D. Iacobi, qui eisdem, quibus Augustini, legibus tenebantur.

Anno 1560. milites Calatranenſes floruerunt, à Santio rege Toletano inſtituti. Nomen à loco vbi conſederunt. Nigra veſtis, rubra crux in pectore.

In eadem ſunt prouincia, eiuſdemque ordinis, nempe Ciſternienſis, milites Alcantarēſes, qui templum prope Tagum fluuium ditiſsimum extruxerunt. Crux erat viridis. Milites Mariæ, qui redemptionis titulo illuſtres fuerunt, à Iacobo quodam qui Inſulas Balearicas ſubiugauit inſtituti ſunt, anno, 1212. confirmati à Gregorio nono; veſtis alba, nigra crux. Eorum id erat munus, captiuos vt redimerent, vnde redemptionis milites dicebantur.

Habet & Valentia milites de Monteſio. Crux rubra; eodem, quo Calatranenſes floruerunt, tempore.

Milites, quibus nomen dedit Sepulchrum Chriſti, duas habuerunt rubras cruces.

Anno 1320. prodierunt milites Chriſti, à Iohanne viceſimo, papa conſtituti. Sedes Portugallia, veſtis nigra, crux purpurea.

Sunt alij, qui ſanctæ Mariæ matris Domini appellantur. Nobiles enim quidam, principum contentionibus implicati nimis & perturbati, petierūt ab Vrbano quarto, vt ſibi ſocietatem quandam inire liceret, ſeſeque liberè & pacatè darent contemplationi. In pectore parua crux, rubra, aurata. Splendidè veſtiebantur, eodem pene modo quo fratres Prædicatores. Dicti ſunt ab Italis, primùm, *Frati di Madona*; deinceps verò propter ſplendorem ordinis, vulgò *Frati gaudenti* appellati ſunt.

Milites S. Lazari Hieroſolymitani floruerunt, viuente Baſilio, & papa Damaſo, regnante Iuliano Apoſtata. Reſtauratus deinde & locupletatus eſt ordo à Pio quarto. Crux viridis in ſiniſtro latere.

Milites

Milites S.Stephani,anno 1561.instituti à Cosmo Medices Florẽtinorum duce, confirmati à Pio quarto,Crucem rubram auratam habuerunt,vestem nigram.

Readeamus iam tandem ad signa & insignia militaria. Quorum singularis est vtilitas, ad gradus turmasque distinguendas. Vexilla intuentur milites, ea sequuntur, obseruant,tuentur,& eorum insignibus, vt nauis gubernaculo,diriguntur. Horum omnium illustrissimum erat effigies Aquilæ, quæ hodie biceps proponitur,quia bipartitum est imperium, illud Orientis, Occidentis hoc.

Minotauri etiam effigies ferebatur,cùm secreto & tacitè rem peragendam admonerent: ostendebat enim illud Hieroglyphicum,consilia ducum non minus occulta esse debere, quàm fuerat Minotauri Labyrinthus. Itaque Q. Cæcilius Metellus Macedonicus Imperator Romanus,percõtantibus Tribunis, quò nam exercitum huc illuc agitaret: si putarem,respondit, tunicam meam meorum esse consiliorum conscium, eam actutum abscindetem,combureremque.

Quin & porcum Romani prætulerunt,ait Pierius, & legionis etiam quintæ vexillis Elephanti appingebantur:propterea quod Caio Cæsare aduersus Lucium Scipionem ciuili bello decertante, ea legio negotium sibi contra Elephantos dari postulauit, neque strenue gesta, reliquæ victoriæ occasionem præbuit.

Erat & signum Romanorũ militũ scarabæus, quo virilem animũ præstare se debere admonerentur. Nam id ex eo intelligitur Hieroglyphico,vt explicat Pierius.

Centurionum insigne fuit vitis,eaque minus promptos ad parendum milites castigabant. Hinc Iuuenalis de Mario.

Nodosam posthæc frangebat vertice vitem
Si lentus pigra muniret castra dolabra.

Caligula, ait Pierius, eius ordinis militem notauit, qui manipularibus præfectus esset, eo enim calciamenti genere vtebantur. Subiecti erant hi centurionibus, & Caligati dicebantur. Vnde Caius Cæsar qui Tiberio successit, quia inter hos infimæ notę milites enutritus est, Caligula dictus est. Dicebantur autem ordines Manipulares à manipulo. Cogebantur enim triginta milites sub vno manipulo, nempe vexillo. Romulum quippe aiunt manipulos fœni pro vexillis habuisse, quòd repentino tumultu excitatus, id signi genus prætulerit, reque bene gesta, boni inde ominis causa manipulos instituisse: hoc Pierius. Alij tamen aliam huius rei rationem afferunt: quia, si in locum periculosum exercitus esset profectus, parum interesset, si fœnum perderetur: at multum, si Aquila, vel tale aliquid amitteretur.

Quin & Cohortium erant insignia, perque singulas earum, vt ex Flauio Vegetio probat Pierius, ferebantur ad prælium à Draconarijs; quo nomine κατ' ἐξοχὴν Signiferos omnes appellabant. Quo vero pacto gestarentur, videre est apud Ammianum Marcellinũ, vbi pompam describit quam Constantius imperator vrbem ingrediens, duxit. Erant enim, vt is inquit, Dracones hastarum aureis gemmatisque summitatibus illigati, hiatu vasto, perflabiles, & ideo velut ira perciti sibilantes, caudarum volumina relinquentes in vẽtum. De ijs sic Claudianus,

Mansuescunt varij, vento cessante, dracones.

Erat vero signum draconis purpureum, vt idem testatur Ammianus.

Apud

Apud Romanos, inter alia militaria ſigna, reperiuntur & Flammiculę rufæ geſtari ſolitæ: fuiſſeque proſperi euentus ſigna. Obtinuit certè primas inter Inſignia Auguſtalia, ignis; vt ex Herodiano conijci poteſt, vbi Commodum, ait, Marciam meretricem ita coluiſſe, vt præter ignem omnes honores illi velut Auguſtæ tribuerentur. In monumentis illis Theodoſianæ militiæ, & eorũ qui Theodoſium aliquot annis præceſſerunt (de quibus poſt ex Pierio dicemus fuſiùs) videas præfectorum Abacos paſsim cum candelabris ſuperimpoſitis figuratos: in pleriſque, etiam ara eſt, in magni procerig; tripodis ſpeciem ex ære fabricata: quod nimirum ad huiuſmodi dignitatis participationem referri debet.

Antiochum ferunt cognomento Soterem, antiquum illum, à quo reliqui Syriæ reges Antiochi dicebantur, cùm aduerſus Galatas acie decertaturus eſſet, per nocturnam imaginem vidiſſe Alexandrum, qui mandaret, vt militibus teſſeram daret, ὑγιείαν. Cuius dicti Hieroglyphicum olim iam inuentum erat: triplex triangulus inter ſe complectitur, ex quinque paribus lineis ſeſe inuicem in puncto contingentibus. Quo non cunctanter à ſeſe facto, pentagrãmóq; huiuſmodi tum in vexillis impoſito, tum & ſingulis reliquis militaribus indumentis ſuperaddito, aſſutoque, admirabilem mox eſt à Galatis victoriam conſecutus. Antiochi porro nummus argenteus paſsim habetur iſtius rei memoria ſempiterna quo nota ea impreſſa eſt, additis ſingulis, per angulorum interualla literis, Narrat pierius;

Apud Romanos, indicti belli ſigni erat haſta ferrata, præuſtaque, fœcialis manu præterita, quam vbi primum

mum in hostiũ fines emisisset, tribus puberibus præsentibus causa prius exposita, bellum iustum indictum, fierique cœptum intelligebatur: hinc apud Maronem, Turnus primus.

——— Iaculum intorquens emittit in auras,
Principium pugnæ.

Hasta honoratum quiddam erat apud Romanos, hinc virgilianus Aeneas,

Bina manu lato crispans hastilia ferro,
Ingreditur.

Et regis filius Pallas apud eundem,

——————— telo rapto volat obuius ille,
Aeneæ.

Ab Hasta Romani Quirites: hinc illud Ouidij in fastis.

Siue quod hasta Quiris priscis sit dicta Sabinis.

Hasta autem pura, hoc est, sine ferro, fortitudinis erat insigne. Hinc Virgilius.

Ille, vides, pura Iuuenis qui nititur hasta.

Qui quidem futurus erat rex, multorumque regum parens. De scutis hæc Pierius. Pari honore, cum hasta, fuit scutum: quo etiam donari soliti sunt hi, qui fortiter feciſſent. Hinc apud Virgilium Aeneas clypeum efferri iussit quo iuuenem egregium Nisum præstanti munere donaret.

In Mantineensium scutis Tridens signatus erat: quare eius vrbis ciuis per gestamen id cognoscebatur: vt apud Pindarum.

Λ Litera in Lacedæmoniorum scutis notata, populum eum significabat. Sic τὸ M, in Messeniorum clypeis, qui & ipsi clarissimi olim extitêre, descriptum erat, quod e-

um

um etiam populum significabat.

Donabantur clypei ab imperatoribus honori militibus: atque illis (vnde & nomen) insculpi incîdique facta pulchra, moris fuit: vnde, qui nihil adhuc strenuè in bello gessissent, alba vtebãtur parma. De quo Virgilius.

——parmaque inglorius alba.

Quod autem imagines in clypeis pingerentur, liquet ex Virgilio,

Mutemus clypeos, Danaumque insignia nobis
Aptemus.

Quomodo enim se pro Troianis venditassent, nisi Troianorum Insignia in Clypeis apparuissent? Ea autem erant (ait Seruius) in Græcorum clypeis Neptunus, in Troianorum Minerua.

Antiquæ militiæ vestigia quædam extant Romæ apud Maffeos in Canone quodam ad Theodosium & Valentinianum inscripto, in quo militum omnes ordines recensentur, gestaminaque ipsa suis etiam coloribus picta conspiciuntur, quæ quisque manipulus, turmaque, ex quadrupedibus vel alitibus, vel ex colorum varietate signa sibi desumpsissent. Ex quo multa selegit Pierius: extatque liber, qui monumentorum appellatur: in quo ista fere omnia picta reperiuntur, suisque coloribus illustrata: ita vt nihil fere differant à nostrorum armis, nisi quod peltarum parmarumque figuris alijs vsi sunt.

Menapiorum Pelta rubra erat in alba Parma. Sed infra in eo albo sub pelta canis lutei coloris, pedibus ad cursum, quantum fieri potest, exporrectis, vtero ad peltã verso, dorso parmæ superficiẽ spectante. Ait Pierius, qui eadem diligentia reliquorum exponit gestamina, Vesontium, Propugnatorum, Braccatorum Militum,

Sagit-

Sagittariorum seniorum Orientalium, Secundorum Theodosianorum, Constantiorum, Menapiorum, Tertiodecimanorũ, Petulantum Iuniorum, Iouiorũ, Honorianorum, Saliorum, Teriungorũ, Valentianensium, Augusteorũ, Felicium seniorum, seniorum Menapiorum, Cortonacensium, Thessalorum, Sagunensium, Honorianorum iuniorum, Marcomanorum, Curatium iuniorum, Maurialitum defensorum, Sextæ legionis Parthicæ, Anglenariorum, Cornutorum, Falconariorum, Vindicum, Sagittariorum Neruiorũ, Batauorum, Marcomanorum iuniorum & seniorum, Exultatorum, Herculianorum iuniorum & seniorum, Iouianorum, &c.

Sit ergo hoc pacto à nobis explicata insignium natura. Nam de tesseris vt dicam, non est necesse. Id vnum adijciam, Cæsaris tesseram fuisse Venerem genetricem, Marij Lar deus perhibetur, Scyllæ verò Apollo Delphicus.

Coronæ

His ita constitutis, sequitur deinceps vt coronarum vsus exponatur. Nam inter alia quæ ab Aegyptijs hauserunt Græci, fuit & ista per coronas, occulta animi sensa significandi ratio. Itali vocant *Ghirlande*, nos **Garlands**. Harum duo erant genera. Primum capitis: secundum colli ornamentum erat, de quo & Alcæus, & Anacreon loquti sunt: Illud insitum erat tum his, tum illis, vt per figuram earum orbicularem, victoria vel æternitas significaretur. Hinc scribit Sozomenus 6. lib. tripertitæ historiæ, quod cum Iulianus Apostata gentium dijs sacra faceret, crux coronata reperta est, in occisi animalis visceribus. Quo viso perterriti ministri dixêrunt, illud esse signum victoriæ & æternitatis Christianæ religionis. Vnde & illud in fabulis, Bacchum

ita

ita amasse vxorem Ariadnem, vt coronam illius in cælum sustulisse diceretur. Atque hinc fluxit illa consuetudo, coronas aureas, id est, Diademata regum capitibus imponendi: nihil enim aliud erat, quàm fascia gemmis ornata, qualis & illa fuit Persarum Sidaris: hæc eadem fascia victoriam notabat. Itaq, Corinna, fœmina æruditissima, statuam habuit, vt scribit Pausanias, fascia redimitam, eò quod in Lyricis superasset Pindarum Lyricum poetam.

Ex eodem fonte profluxerunt, titulus, mitra, tiara, de quibus iam dictum est, & erit fortasse deinceps dicendũ. Quod autem vsus iste corollarum ab Aegyptijs deducatur, testis est Plato, 7. lib. de legibus, vbi ostendit, computandi artem vel pueris tum fuisse familiarem, ita vt poma corollasque aptè & accommodate distribuerent. Quem locum Platonis, in hunc modum interpretatur Athenæus. Sint in vna domo sexaginta corollæ; Intrat vnus, omnes corollas accipit: intrat secundus, cui primus ille dat dimidiam partem corollarum, triginta scilicet: venit tertius, cui primus & secundus dant singuli decem, ita vt tertius iam habeat viginti corollas: ingreditur quartus, cui tres primi dant quinque singuli, restant ergo vnicuiq; quindecim: accedit quintus, dantque illi, cæteri quatuor singuli tres, sic duodecim remanent vnicuique. Postremò & sextus adiungitur, cui decem ab omnibus, hoc est à singulis binæ corollæ tribuuntur: vt quilibet habeat corollas decem, ipsæque sexaginta dentur æqualiter vnicuique intrantium, sic vt nulla frangatur. Atque hic erat puerorum Aegyptiorum iocus: ex quo illud apparet, ista ab Aegyptijs profluxisse. Multa græci de origine corollarum, quæ omitto quòd inter se non consentiant, dum alius hanc obtru-

dit fabulam, alius nouam inducit: nullus est enim apud Græcos fabularum modus, nullus ineptiarum finis. Illud constat, varia corollarum genera ad cogitationum varietatem explicandam fuisse accommodata, aliasque alijs dijs coronas attributas, ex illis nimirum vel floribus vel plantis constitutas, quæ illis sacræ erant.

Erat olim quoddam amoris indicium ab istis deductum corollis: itaque amatores corollas suas ad amicæ fores posuerunt.

Laureæ coronæ triumphantibus datæ sunt, vel in aliqua re præcipuè excellentibus: quernæ, ciuem seruantibus, hinc illud, *seruati præmia ciuis*. Gymnicis autem oleaginæ.

Saturnum Phærecides primò coronatum ait, Iouem Diodorus post euersos Titanes: Idem Priapo tænias dat, & Ariadne sertum, Iunoni vitem Callimachus.

Hercules nunc populum, nunc Oleastrum, nunc apium capite præfert. Hinc illud Virgilij in Bucolicis.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho,
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.

Liber etiam hedera vtebatur. Milites aliâs myrto, aliâs oleo, coronati sunt.

Coronæ Castrenses, Murales, Nauales, ex auro conflatæ sunt. In ludis Olympicis, Isthmicis, Argiuis, & Pithyis, præmia vincentibus constituta sunt, Oleaster, Pinus, Apium, Malum.

Isis prima repertas spicas capite circumtulit, ait Leo Aegyptius.

Rosea, & florulenta corona in conuiuijs olim vsurpari solita est.

Corona, a cornu, vt quidam volunt, nomen habet, &

certe conueniunt inter se similitudine quadam, cornu, radius,& corona: cornu in sacris literis regem,& robur notat. Quod & est apud Ouidium?

——Tum pauper cornua sumit.

Coroneque regiæ,radiorum referunt similitudinem, vnde institutum est,vt in Apollineo capite, radij conficerentur duodecim lapillis pretiosissimis. Hinc Virgilius,cum Latinus rex inter Aeneam & Turnum fœdera facturus esset,ita canit.

Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis aui specimen. &c.

Liber secundus de *Armis.*

ISta de insignibus: sequitur vt de armorum disciplina deinceps disputemus, vbi etiam tunicas coloresq; breuiter percurremus.

Primo ergo in loco armorum originem, naturamque explicemus, quæ certa videntur nobilitatis indicia. Neque tamen eam ob causam necesse erit, vt de ipsa nobilitate aliqua à nobis disputatio instituatur. Pleni etenim sunt plurimorum libri qui passim circumferũtur, ita vt res ista nec planius à nobis exprimi possit, nec ornatius explicari. Id vnum adducam ex Aristotile:

εὐγενὲς ἐστὶ τὸ ἐξ ἀγαθῶν γένους, γενναῖον δὲ τὸ μὴ ἐξεμένον τῆς αὐτῶ φύσιος.

Nobile id est quod ex bono genere profectum est: generosum, quod è sua natura non degenerat. Distincta ergo sunt ista, nobile & generosum: hinc illud Ouidij in Epistolis.

Si te nobilitas, generosaque nomina tangunt.

Nostra autẽ instituta est disputatio non tã de nobilitate quã de nobilitatis indicijs: quæ etsi hodie ignobilibus aliquando affigantur, & pecunia cõparẽtur, non est tamẽ quòd id, cùm hominum vitio contractum sit, in rei naturam

turam transferatur. Præclara mehercule res est, & digna satis vbi neruos orator intendat suos: quid enim accomodatius excogitari potest ad ordinum distinctiones, hominumque dignitates illustrandas? Quod autem à recentioribus verba quædam ipsis armis subijciantur, videtur id nuer inuentum, ad imitationem eorum quæ symbola à nobis appellantur, suoq; in loco exponũtur.

Diximus iampridem, eandem esse rationem armorum apud posteros, quæ fuerat imaginum apud Romanos. Sed & nomina videntur in hunc locum conijcienda, & in eorum numero reponenda, quæ vera sunt nobilitatis symbola: de quibus id queri potest, sint ne hereditaria, an non sint. Negat Lucas Contiles, ait Carolus Sigonius. Cuius ea ratio est à Ciceronis verbis in somnio Scipionis deriuata. Verba ista sunt Africani ad Scipionem perorantis. Eritq; cognomen id tibi per te partum, quod habes adhuc à nobis hæreditarium. Ex quibus id infert Sigonius, nomina apud Romanos fuisse hæreditaria. Verùm non vna eademque videtur omnium nominum ratio. Quæ enim ab egregio quopiam facinore profecta sunt, videri possunt ita esse coniuncta cum ipso facinore, vt ab authore diuelli vix possint, diffundiq; ad posteros. Vt Manlius qui Torquati titulo insignitus est, quod Torquem hosti abstulerit. At eorum quę euẽtu fortuito accesserũnt, alia planè ratio est. Ná cũ cicer Ciceronẽ denominauerit, quid refert, si omnes posteri Cicerones appellẽtur; parua enim res est, nulliusq; ferè momenti, Quamuis id iniquum videri possit, vt cũ rustici, quæ sua sunt relinquant suis, hoc est agros & ædificia, cæteraq; cõmutabilia pecuniæ membra; viri nobiles & illustres non possunt suorũ laborum fructus ad posteros propagare. Certũ id est, apud nostros homines,

huiuſ-

huiusmodi nomina & esse nunc,& olim fuisse, à maioribus tradita quasi per manus,ad eos qui ex illis orti sunt, idque factum videtur,principum gratia,consensu populi,temporis diuturnitate : non tamen iure aliquo vendicari possunt à nepotibus, nisi ad maiorum trophea sua etiam propria monumenta accedant,quibus confirmata videatur eorum nobilitas, & publicis quasi sigillis consignata. Eodem planè modo & arma videntur primùm instituta;non quasi notæ alienæ virtutis,sed vt proprij laboris testimonia. Si quis ergo rerum abundantia circumfluat,atque ita arma sibi comparet,diuitiarum fructus,non virtutum:ita tamen iam se res habet,vt ea ad filios,& filiorum filios propagata, temporisque diuturnitate stabilita,verisima videantur antiquæ nobilitatis insignia. At Sigismundus respondere solitus est,se nobiles omninò constituere non posse, quia,

Nobilitas sola est atq; vnica virtus.

Verùm ista Sigismundi nobilitas nimis videtur Philosophica & generosa,nos de ijs hominibus verba facimus, qui nobiles haberi solent, & appellantur nobiles. Sint autem generosi,an non sint, cùm illi nihil putent interesse, quid opus est nos diutius disputare?

Id minus videtur à communi consuetudine abhorrere, quod est à Bartolo constitutum lege prima, C. de dignitatibus lib. 12. (quæ tamen melius dicerentur de dignitate,ait Torquatus Tassus) Nobilitas est qualitas illata per principatum tenentem, qua quis vltra honestas plebeias personas acceptus ostenditur. Est qualitas,nam abest,adestque vt accidens,vt in muliere plebeia,quę nubit viro nobili,adest statim nobilitas, ipsa enim fit nobilis. Et contra,in muliere nobili quæ nubit plebeio,& in eo,

eō, qui propter delictum, perdit dignitatē. Sic potest quis tēpore nobilis, altero ignobilis esse, vno loco nobilis, vno alio ignobilis, eodē tempore. Vt si nobilis captiuus in Gallia detineatur, est adhuc nobilis in Anglia. Nobilitas etiam in ignorātem cadere potest. Princeps enim etiam absentem atq; ignorantem constituere potest nobilem. Atque ista fere Bartolus, quæ sunt reuera: disputent philosophi quid esse debeat in suis rerum publicarum ideis.

Mirum autem videri potest, istam armorum disciplinā à nemine fuisse pro dignitate explicatā, cum multum faciat ad nobilitatem, et res gestas maiorum nostrorum significandas & illustrandas. Nam cùm quorūdam libros inspicio gallicè scriptos & Anglicè de armorum origine & natura, vix me possum continere, quin exclamem, ô cœlum, ô terras, ô Maria Neptuni? Hoccine est armorum ortum exponere? Hoccine arma explicare?

Quid enim? nefas est alijs vti verbis, *or*, dicendum est, non aurum, atque ita in reliquis. Tenenda sunt artis vocabula, *gules*, azur, & quid ita quæso? nonne ista possunt exponi Anglicè? si possint, cur placet aliena potius & ignota obtrudere, quàm nostra proferre vocabula? si non possunt, quis tu is es qui tantum tibi assumis, vt rem exponas Anglis, quæ nō potest Anglicè explicari? At Gallica sunt significantia magis? at id falsum est, si apud Anglos oratio habeatur. At ista, quia sunt à vulgi consuetudine & sensu abhorrentia, faciunt, vt ād rem ipsam plus accedat dignitatis, & authoritatis. O nos homines planè simplices, si ea admiremur, quę non intelligamus. At sua sunt artium vocabula. Pulchrè mehercule habent: sua artes omnes & scientiæ vocabula, ergo si Rhetorica sit latinis literis illustranda, necesse est vt ego inducam voces

ces peregrinas, cum res ipsa latinè possit elegantius multò demonstrari. Legatis vos vestra cum vobis: ametis vestra sine riuali; & cum ea protuleritis, quæ ipsi vix intelligitis, magnum vos quiddam, & admirandum naturæ opus inuenisse prædicetis. Sitis, per me, impudentes. Nam vt ille apud Ciceronem respondit: sputa, quid sit scio, tilica, nescio; sic ego ingenuè fateor, me quid ista sibi velint, planè non intelligere. Si autem eum in finem ista à vobis vocabula introducantur, vt res ipsa non intellecta, in hominum reprehensiones non incurrat, laudo ingenium vestrum, laudo institutum: ego enim cum Lucilio, malo non intelligi orationem meam, quàm reprehendi. At Lucilius non dixit, quod Latini non intelligerent, sed simplices homines & è plebe petitos, lectores maluit, quàm sapientes nimis, & pluſquam esset satis, intelligentes. Sin vulgus ab istis mysterijs excludendum putetis, ideoque velis huiusmodi & Gallicis inuolucris armorum proprietates obtendatis, verendum est, ne non solùm vestra in hac re desideretur constantia, qui scribitis Anglicè, vt quid scribatis ab Anglis intelligatur, & scribitis tamẽ Gallicè, ne, quid velitis, percipiant Angli: sed prudentia etiam requiratur & iudicium, qui barbaris istis & obsoletis voculis, elegantia & polita multorum ingenia deterreatis, & quasi nares in patinam emungatis, vt cæteris abstinentibus, vos epulis fruamini soli sine socijs.

Geraldus Leus repetit armorum originem altiùs, eorumque disciplinam perfectam esse putat, ante bellum Troianum suisque numeris absolutam. Eiusdem ferè sententiæ authores & alij reperiuntur, quid enim est quod isti homines non audeant, qui cum pauca quædam ex rancidis chartis syntagmata deprehenderint,

volitant

volitant in foro, atque homines ita intuentur, quasi ipsi non essent homines, cùm sint reuera, in iuris prudentia planè hospites, philosophiæ præceptis non instituti, hæsitantes in historijs. Itaque vix me continere possum à risu, cum videam hominem tam aniles nugas tanta cum authoritate proferentem. Ita enim disputat; Scythæ 1206. annos ante Christum bellatores extitêre, ergo tum absoluta erat ista nostrorum armorum disciplina. In quo si, gladium, hastam, clypeum, eorumq; confectionem, armorũ disciplinam appellari velit, quòd ista sint arma, & militaris disciplinæ instrumenta, nę ille homo erit non tam ratione refellendus, quam risu excipiendus. Quid enim ego te, homo amentissime, literas doceam? Arma hoc loco, καταχρήσικως, accipiuntur. Idque eam ob causam, quòd militibus, atque illis qui armis instructi, res magnas gessêrunt, arma essent cõcessa in initio, eisque duntaxat à principibus attributa. Vocantur etiam insignia, etsi alia sit armorum ratio, alia insignium: verùm insignia quandoque appellantur, quia, vt testatur Budęus, ista armorum inuentio recens est, nec veteribus Romanis omnino cognita, sed posterioribus temporibus introducta. Itaque nouæ rei nouum nomen erat imponendum, quod etsi sic à latinis non fuerit vsurpatum, tenemus tamen, & distinctioris doctrinæ gratia teneamus. Pergit ille tamen, & ex obscuris suorum officinis, Iosuæ, Hectoris, Salomonis, Dauidis, multorumque aliorum arma exponit, ita suis distincta campis, & coloribus, quasi iam Salomon suos habuisset Læos, & Bosewellos istis in rebus exercitatissimos.

Mitto Asteriall & Olibion, houa nomina, verùm vt illi videntur antiqua, ob eamq; causam veneranda. Mitto Arthuri arma, militumq; eius, qui ab orbiculari men-

ſa nomen inuenerunt, quorum arma ſunt & Gallicè & Anglicè explicata, nihil vt excogitari poſsit abſolutius. Ego Arthurum fuiſſe non nego, imo regem fuiſſe illuſtriſsimum contendo, menſamque ab eodem orbicularem, eiuſdemque menſæ milites inſtitutos agnoſco: quòd vero tam explicata, polita, diſtincta fuerunt, Lanceloti, Triſtrami, Meliados, Segurani, Galihaulti, Gyronis, Rami, Borti, Pores, Clares, Vrien, Lothi, Pelimõdi, Lyonis, Bagdemagi, Morhaulti, Pharamondi, & eorum qui ſequntur, arma,

——————*credat Iudæus apella.*

Non ego.

Neque verò eſt quod in iſtis explicandis diutius inſiſtamus, quæ ab ocioſis quibuſdam hominibus inuenta, & ab ingenijs volitantibus excogitata ſunt: itaque eadem facilitate reijciamus illas armorum exponendorum rationes, qua ſunt ab earum authoribus introductæ. Regnante Henrico quinto, Teutonicus neſcio quis, per partes humani corporis præcipuas, arma explicauit. Gallus autem quidam, nomen erat Malorques, per flores: Fawcon Anglus regnante Eduardo tertio, per ſingulos ſeptimanę dies. Qui verò prę̃ceſsêrunt, per planetas, per lapides, per colores & Metalla expoſuiſſe perhibentur. Quid alijs videatur, neſcio: ego, ſic mihi perſuadeo, ſic ſentio, ſatis id eſſe explicatum eleganter, quod eſt proprijs vocabulis illuſtratũ, apud Anglos Anglicis, Italis apud Italos: apud Gallos Gallicis: eoſq; nobis iniuriam intuliſſe, qui noſtrorum arma, Gallorum vocabulis expreſsêrunt. Galli ſuis vtũtur verbis, *or*, *argent*, & ſic in reliquis eodem modo Gallorum vocibus: Itali etiam ſua adhibent, non aliena, in ſuis, ſuorumque armis illuſtrandis, nomina, *oro*, *argento*, *bianco*, *nero*,

nero, rosso, azurro, nos verò, si dijs placet, non, **gould**, sed *or*: non, **siluer**, sed *argent*, idq; relligiosè satis appellamus. Sed nescio quomodo, dum nimio contradicendi studio abrepti sumus, longius à proposita armorum dignitate nostra iampridē aberrauit oratio: quæ quāta sit, ex eo apparet, quòd ista, quamuis, cuius ea sint, ignoretur, honestent locū tamen & nobilitent eum in quo fixa sunt, faciantq; vt plus habere videatur dignitatis, cogantq; etiā ipsos spectatores sedulò inquirere & perscrutari, cuius fuerit is locus, quis domus dominus, qui eius maiores, qui parentes. Itaq; Alexander magnus diligens erat huiusmodi rerum spectator, quę nobilitatis & virtutis notæ viderenur, easq; summo honore prosequebatur. Itaq; cum ad sepulchrum Achillis constitisset, exclamauit.

Fœlix AEacide, cui tali contigit ore
Gentibus ostēndi, creuit tua carmine virtus.

Ideoq; & suos etiam milites, qui egregiū aliquod facinus aliquando perpetrassent, solitus est insigni aliquo nobilitare, quod tamen ipsius facti testis duntaxat esset, ad posteros autem non transfunderetur, tāquam nobilitatis indiciū. Nam recentior multò est iste armorū vsus, quam illa insignium consuetudo. Petrus Arcarona *Clementina vn. para. Sic nos in fine*: huiusmodi arma pluribus in locis eam ob causam collocari putat, non solùm vt nobilitatis indicia sint, maiorumq; nostrorum monumenta, sed vt posteri etiā excitentur ad laudem & decus.

Quemadmodū autē apud Romanos eorum familiæ obscuræ habebantur, quorū nullæ essent imagines, sic & illi iam ignobiles existimantur, qui maiorum Arma nō possunt ostēdere. Et vt Romanorū imagines tēporis diuturnitate cōfirmatæ nobiles cōstituêrunt eos, qui in maiorū suorum vestigia nunquā ingressi sunt, sic & nostræ

ætatis nobilitas satis videtur cõsequuta, si colores famosorũ armorũ possit producere. Neq; sanè est ista nobilitas contemnenda, quod sub illius vmbra delitescant quidam non nimis generosi, sed id optandum potius, vt cum suorum arma nobilitatem confirment suam, suis etiam rebus gestis & virtutibus generosa indoles consignetur. Itaque monumenta ipsa maiorum, atque arma lachrimari mihi videntur sæpenumerò, cum sentiant se eorum in aulis fixa collocari, quorum virtutes testari nõ possint, improbitatem verò execrentur. Quin & illud quotidiè crebris sermonibus vsurpatum est à prętereuntibus: ô domus antiqua, quã dispari domino dominaris? O arma illustria, quæ turpitudinis inuolucra, nõ pigmẽta virtutum iacetis prostituta. Indignum ergo fortasis cuipiam videri possit, Heroum illustrissima monumenta ad ignauissimos diffundi nebulones: quemadmodum & illud absurdum videtur Lucæ Contili, Romanorum cognomina, virtute parta, hæreditaria appellare. Neque enim omnes, inquit, Manlij erant Torquati: nec omnes Cornelij, Africani: nec omnes Valerij, Coruini appellati: ista enim nomina, signa erant eorum facinorum, quæ ab vno Manlio, vno Cornelio, vno Valerio perpretata celebrantur. Id erat prętera imaginibus commune cum armis, quòd vt imagines tolli & moueri loco, nisi publicis decretis non poterant, statuæ pręsertim in publicis locis constitutæ, sic arma quibusdam in locis posita, mouenda non sunt, aut de sede sua deturbanda. Budæus in lege finali in digest. de origine iusti.

Si quis quęrat, possintnè arma transferri atque alienari: respondet Bartolus, posse quandoque alienari, darique adoptiuis legitimatis, vel arrogatis, vel ijs, qui nos sibi beneficijs quibusdam deuinxêrunt: vel amicis & bene-

beneuolentibus: Insignia autem militaria, dux pro arbitratu suo alienare, dareque cum volet, potest, modò principis arma in illis depicta non habeantur. Insigne quod iam efformatum est, & in alicuius principis exercitu constitutum, alienari non potest, transferrique in alterius seruitium principis, nisi in eo propria tantummodò ipsius ducis arma depicta fuerint, tum enim mutata persona, omnia eius mutari possunt. At insignia supremæ dignitatis & autoritatis, de quibus alibi iam dictum est, alienari non possunt. Rex enim se potest regia priuare dignitate, vt Lodouicus Gallorum rex; potestq; à sede deturbari: cuius rei exempla in historijs reperiuntur, tam eorũ qui se sponte dederũt rebus diuinis, relicto reipub. clauo: quam qui è solio deturbati sunt, vel quòd furore corriperentur, vel quòd stultorũ in numero reponerẽtur. Vendere verò, vel donare arma & insignia regalia non potest, nec ea à successoribus suis alienare.

Non licet nothis vti parentum armis, nisi notis quibusdam distinctis, ad hanc rem accommodatis. Id hodie obseruatur. Verùm licetné legitimatis? volunt nonnulli: alij non concedunt illis parentum arma, nisi notis huiusmodi inusta.

Arma depingi solent in omnibus ijs locis quæ ad parentes pertinent ex vno eodemq; capite descendẽtes, nec tolli possunt sine pœna, *vt est in leg. æquiss. para. sed ædificiorum vsus fructus.* Ita vt ipsa possessio ædificiorum, argumẽto ab armis in eo loco positis deducto cõfirmetur.

Non licet nisi magna aliqua, & honorifica causa accesserit, arma mutare. Nam si nomen cuilibet mutare non liceat, nec licebit arma: *in leg. illi: para. qui per militem:* vbi Baldus digest. de falsis, dicit, quod quemadmodum mutatio nominis non requiritur in principe

ſeculari quocunque, ita nec alicui alij conuenit. Itaque per conſequens, nec armorum mutatio conuenit. Quid? quod Doctores & notarij ſigilla ſignaque mutare non poſsint? quanta enim hoc pacto perturbatio rerum omnium & confuſio conſequeretur?

In loco deſerto & obſcuro, cuius Dominus ignoretur (qui alioqui vel publicus eſt, vel eius qui primus occupauit) ſi in lapidibus eruendis, vel fundamentis locandis, arma aliqua nota reperiàntur, illius erit ager, cuius ſunt arma.

Non licet radere aut tollere, niſi locus ille ſit iure alienatus ab ipſo Domino ipſorum armorum.

Si quis nobilis læſæ Maieſtatis reus ſit, patriam prodit, Hæreticus reperiatur, vt maior illi inuratur ignominiæ nota, raduntur, tolluntur, deturbantur illius arma.

Si nobilis moriatur ſine vllo ſucceſſore relicto, Arma illius aliquando ſimul cum ipſo in ſepulchrum imponuntur.

Caſſaneus exiſtimat, Quadrupedum figuras ſiue ſuo proprio & naturali colore exprimantur, ſiue non exprimantur, maiorem tamen & illuſtriorem continere Nobilitatis ſignificationem, quàm Piſcium, Auium & huiuſmodi.

Idem Caſſaneus multa eſſe arma ſcribit in Gallia vſurpata, quæ inepta, ridiculaque haberi poſsint, & dedecus magis quam dignitatem ſignificantia, vt Bouem è nube exeuntem: & alia eius generis, quæ naturæ ſunt repugnantia, & ab hominibus otioſis magis quàm ingenioſis excogitata. At negat hoc Lucas Contiles, & vt rationem adiungat ſuæ opinionis, de origine & cauſa Armorum in hunc modum inſtituit diſputationem.

Antiquis

Antiquis Græcis Romanisq; incognita erant ista armorum insignia. Nec apud alias gentes reperientur, si omnem antiquitatis memoriam intueamur. Romani tamen suis imaginibus in eundem finem vsi sunt, quod iam sæpe diximus: primò, vt videtur, à Carolo magno & Longobardis inducta sunt, etsi alij potius Frederici Barbarossę temporibus excogitata maluêrunt. Nisi illud fortasis magis arrideat inchoatam esse armorum disciplinam regnante Theodosio, vel imperante potius, deinceps verò Caroli magni ætate, absolutam, passimque propagatam.

Causa huius inuentionis hæc esse potest, nam cùm non solùm Italia, sed vniuersa fere Europa, Vandalorum, Gothorum, Hungarorum, Saracænorum, Longobardorum armis vexaretur, factum est, vt ab istis, de tam opima præda contendentibus factiones & quasi sectæ, in Italiã repugnantes infinitæ inducerentur, Ipsiq; Itali varias in partes distracti, suos quisq; vel amicos vel patronos adiuuarent. Itaq; principes illi, ducesq; Barbari, qui suarũ essent partiũ Italos defendebant, fauebãt, subleuabant, eorumq; viris primarijs huiusmodi signa, quasi fortitudinis & virtutis symbola tribuebãt. Quid ergo si placuerit illis exterarum gentiũ principibus aliquid huiusmodi dare, quod non esset ita coniunctum cum naturę instituto, ideóne ista reijciemus, & fortitudinis atq; nobilitatis indicia esse negabimus? Aquila Biceps non reperitur, & tamen in Imperatorijs armis est Aquila Biceps. Eiusdem generis infinita proferri possunt, non in Gallia duntaxat vsurpata, sed in omnium ferè gentium, quæ Europæ finibus circumscribuntur, armis conspicienda. Quæ primùm fortasis ob eam causam sunt introducta, vt discrepantes ciuium quasi sectæ distinguerenren-

rentur. Quid? nonné ad hanc noſtram ætatem vſque infinita armorum varietas, quaſi ſignum & indicium armorum diſſentientiũ, à Guelphijs & Gybellinis inuecta eſt, eaque colorum notis, candidi & rubri, diſtincta. Nonné tota Florentinorum ciuium multitudo, albore & nigrore tincta & ſeparata in luctuoſiſsimam incidiſſe perhibetur diſtinguendi amentiam? In ore eſt omni populo, Domum Lancaſtriam, atque Eboracenſem apud Anglos, ita diſtinctas fuiſſe, Roſarum, albæ, rubræque notis, vt funeſtiſsima iſtius diſcordiæ incendia, in Angliæ quaſi venas & viſcera illapſa, omnes eius partes perturbarent. Itaque videntur illi barbarorũ duces pro arbitratu ſuo hæc induxiſſe, quæ ſiue cum natura coniuncta, ſiue naturæ aliqua ex parte repugnantia, diſtinctionis certè gratia primùm ſunt introducta, deinde per manus ad poſteros tradita, illuſtriſsima cœperũt eſſe nobilitatis teſtimonia: nec eam ob cauſam contemnenda, quòd nouum quiddam & inuſitatum complectantur, cùm fieri poſsit vt quibus quiſque princeps coloribus delectetur, eiſdem ſuorum arma inſigniri velit.

Optima illa ſunt & præſtantiſsima arma, quæ quaſi virtutis præmia largiuntur principes. Sed quia difficile eſt, iſta ab alijs ſecernere, teneamus hoc, arma omnia, ſigna quædam eſſe maiorum, qui aliquo modo nobiles extiterunt. Multis enim modis arma comparari poſſunt, quemadmodum & nomina imponi, natura, arte, caſu, conſuetudine, vel ab actionibus, locis publicis, & priuatis, atque alijs huiuſmodi rationibus, quas recenſet Sigonius in libello de nominibus Romanorum. Iſtis enim quaſi nominum notis diſtinguebantur olim Romanorum, Græcorumque familiæ. Hinc illa Græcorum

patro-

patronimyca. Nam Agamemnõ & Menelaus, ab Atreo Atridæ appellantur, Achilles Pelides à Peleo: Hector à Priamo Priamides: Quin & à locis deriuata sunt multa Græcorũ nomina, sic Philippus, Macedo: Pirrhus, Epirotas: Themistocles, Athenienſis: Thebanus, Epaminondas: Leonides, Spartanus. Hæbrei suam à duodecim tribubus petunt nobilitatem: Africani reges & sacerdotes nobiles existimant, alios in gregem conijciunt. In Asia, milites, sacerdotes, & qui sunt à consilijs, soli nobiles. Itaque soli Europæi istis armorum insignibus suam expresserunt nobilitatẽ. Reperiuntur quædam quasi Insignia à Virgilio proposita, atque alijs qui præcesserunt: sed alia est armorum ratio: alia insignium natura, etsi iurisconsulti ista confundant vocabula. Insignia iam olim viguêrunt, idque per vniuersum terrarum orbem: ita vt nulla gens tam fera sit, nulla tam immanis, quæ non sibi aliquod signum, symbolum, insigne excogitauerit. At vero ista armorum inuentio recens est, vt proposuimus, & 700. ad hinc annis profluxit, ætate Caroli magni, qui filius erat Pipini, Rex Gallorum, priumsque Germaniæ imperator. Non desunt tamen, qui ab Hispanis potissimum inuenta esse contendant, eo præsertim tempore, quo regnante Iuliano Apostata, Christiani cum Moris infinita bella gesserunt, quorum extant vexilla, atque arma antiquissima. Vtcumque fuerit, id eluceſcit, Carolo potissimum imperante, hæc & distinctiùs explicata fuisse & frequẽtiùs vsurpata. Deinde verò cum Lodouicus & Franciscus primus, Gallorum reges, in Italiam penetrassent, nemo ferè miles erat, qui non suis in armis, si non arma, tamen symbola quædam ostentaret. Arma enim appellantur, quòd olim solis militibus data fuerint, qui ar-

ma gerere ſolent. Nam cum iſta gloria ſit armis, vt inſtrumentis comparata: placuit ipſam quoq; mercedem appellari arma, quod iam ante diximus, & Bartoli deinceps autoritate confirmabimus. Sola ergo in Europa floruêrunt arma, præcipuè vero in Italia, propter frequentes rerumpub. conuerſiones, ciuium factiones, & ſectas populorum repugnantes, quæ ſingulæ ſuas habuêrunt diſtinctionis notas, ex quibus infinita profecta eſt armorum varietas: Itaq; nulla eſt in Italia ferè ciuitas, in qua non mille diſtincta reperiantur arma: cùm apud Anglos, Hiſpanos, Gallos, Germanos, Bohemos, pauciora conſpicantur. Neque enim quilibet homunculus è plebe petitus, apud hoſce poteſt ſibi arma proponere, ſed illi dũtaxat, qui vel à maioribus acceperunt quaſi iure quodam hæreditario, vel virtute, vel authoritate, vel principum liberalitate ſunt conſecuti.

Armorum quædam ſunt publica, quæ ſunt vel cum ſuprema, vel publica aliqua authoritate coniuncta; alia priuata, eaq; vel habent dignitatem adiunctam, vel non habent.

Publica cum ſuprema authoritate ſunt, vel imperatorum, regumque, vel Paparum, vt ſibi perſuadent Papiſtæ. Sic tres Leones, Anglorum reges habent, Lilia, Gallorum: ſic aquila eſt Imperatorum; claues duæ Paparum. publica ſunt etiam noſtarum ciuitatum arma, atque Academiarum.

Verum iſta arma quæ iam propoſuimus non ſunt propria ſuæ gentis ſtemmata, ſed publicæ authoritatis & Cæſareæ Maieſtatis, ad poſteros eodem modo transferenda. Neque enim ſunt iſti Leones propria arma Plantagenitorum; neq; Lilia, Valeſiorum, neque aquila Auſtriacorum.

Iam

Iam priuata, cum dignitate sunt illa Ducum, Comitum, Baronum, &c. qui absolutam authoritatem nullam habent; neque enim sunt ista arma ordinariæ cuiusdam dignitatis, sed suæ familiæ propria, & ad posteros in infinitum transmittenda.

Arma autem ista publicæ authoritatis, Insignium vicem gerere possunt.

Statuæ olim, vt & nunc vni tantùm dicatę sunt, non toti familiæ. Atque istæ statuæ, vt & arma olim, solis militibus, non aliarum artium peritis, ponebantur, è marmore, auro, argento, & simili materia. Itaque Cicero, quamuis eloquentissimus, cum se videret, statuam eloquentia consequi non posse, Imperator esse voluit, vt sic demum voti cõpos efficeretur. Et tamen apud Græcos, literarũ professores statuis donati reperiũtur, vt Demosthenes, Pithagoras, statua inaurata, vel, vt alij volũt, lingua aurea. Nostra ætate primus Carolus quartus Imperator, arma largitus est hominibus literatis, quiq; alijs in rebus egregiam nauassent operam. Itaque Bartolus cum esset & iuris peritissimus, & Carolo quarto à consilijs, qui tamen militari non fuerat instructus disciplina, non ausus est primò principis munus oblatum accipere. Postea tamen accepit: nihil enim (inquit) fas est, respuere, quod principi placuerit. Hoc autem erat eius munus, Leonem illi dedit rubrum, duabus instructum caudis, in campo siue æquore aureo constitutum, quod quidẽ deinceps ad Bartoli posteros, diffundebatur. Atq; illud sane præclarissimè videtur à Carolo quarto institutũ, vt sua essent cęterarum artium præmia. Verè enim orator: Honos alit artes, omnesq; incenduntur ad studia gloria; iacentq; ea semper quæ apud quosq; improbãtur.

Animalia integra nobiliora sunt. Cassaneus ait, nulla

ſine ſuis campis arma eſſe oportere. Campi autem colores candidos, cæruleos, flauos eſſe vult, non nigros, non obſcurè virides, rarò rubros, niſi rubor iſte ſit perſpicuus, Quia ſi campi non ſint illuſtres, ipſorum amorum aſpectus non erit bellus & venuſtus. In iſta enim ipſius campi obſcuritate deliteſcunt, langueſcunt, penituſque euaneſcunt armorum colores.

Arma, ſigna ſunt poſſeſsionis & iuris. Itaque reges Angliæ adiungunt ſuis leonibus Gallorum lilia. Cognominum conſenſus non facit, vt eiuſdem familiæ homines videantur, niſi accedant & arma, quæ propriæ ſunt diſtinctionum notæ. Si ergo duæ reperiantur familiæ, eodem nomine inſignitæ, non autem ijſdem armis illuſtratę, non eſt neceſſe, vt ab eodem fonte profluxiſſe exſtimentur.

Reperiuntur arma quędam, quæ ab eorum nominibus, qui iſta gerunt, deduci videntur. Sic Vrſini habent vrſum, columnam Columnenſes, turrem Turriani: vtrum autem iſta ſint alijs præſtantiora, quæſtio eſt magis explicatu difficilis, quàm vtilis ſi explicetur.

Si ſint duo qui eadem gerant arma, nec ſint eiuſdem familiæ, ſed tamen in eadem patria nati, nec hic magis quàm ille rationem afferre poſsit, cur ſua habeantur, res erit ad principem deferenda, & à principe determinanda: ſin alter eorum oſtendere poſsit, ſuos maiores hæc habuiſſe à principe, tanquam rerum geſtarum præmia attributa, illius erunt arma. Quod ſi duæ ſint familiæ diuerſis nominibus inſignitæ, à diuerſis parentibus profluentes, quæ eadem gerant arma: earum autem altera nomen habeat cum armis coniunctum, non autem altera, illius videntur arma, à cuius nomine deducta videri poſſunt.

Quid

Quid si diues quispiam auarus cupiat arma, cum tamen in eo nihil sit ingenij, nihil virium, nihil quod aliqua cum laude cõiunctum sit? ferri fortasis posset, si modò eiusmodi armis contentus sit, quæ suam vel artem, vel familiam, vel generis obscuritatem aliqua ex parte exprimere possint.

Apparet, eam fuisse Bartoli sententiam, vt liceat vnicuique pro arbitratu arma sibi sumere: quæ nisi confirmetur atq; explicetur, videri fortasse potest rationi non satis consentanea. Sic ergo Nicholaus Vpton Anglus de hac re disputat.

Quæritur an liceat nobili vnicuique sibi arma ac insignia ad libitum sumere? licet. Nam vt nomina inuenta sunt ad recognoscendum homines, ita arma & insignia, ad recognoscendum homines sunt inuenta, sed talia nomina cuilibet licet imponere ad libitum. Itaque insignia & arma ad libitum cuilibet nobili licet suis clypeis pingere & portare. Patet modus arguendi à pari vel simili: quod tum est verum, si nobilis fuerit, qui talia arma assumat, & alius in illo regno viuens ipsa arma vel insignia non portauit. Ista sunt ipsius Vptonis verba, quemadmodum & hæc quæ statim subiungemus.

Nobilitas & honor tum est, cum pro honore in ciuitate habetur. Nam nobilitas & dignitas sunt in acceptatione eius qui potest tribuere dignitatem et nobilitatem: At populus qui habet illud officium in reputatione pro dignitate & nobilitate habet iurisdictionem. Ergo &c.

Qui probabit aliquem esse nobilem, afferat communem vsum loquẽdi, ex longo tẽpore, eum fuisse Ducem, Comitem, vel ex sanguine Ducum Comitumq; &c.

Potestne nobilitas amitti? potest per Monachatum. Nam, nobilis factus monachus amittit nobilitatem, item

per matrimonium, si mulier nobilis nubat plebeio. Delicta etiam quædam, infamia, paupertas, sordidæ artes minuunt nobilitatem: hæc ille atque alia huiusmodi, satis fortasse vera, sed non nimis, opinor, elegantia. Itaque mittemus hominem sanè bonum: fit enim sæpenumerò, vt rectè quis sentiat, & ea tamen quæ sentit, politè eloqui non possit.

Quæret hoc loco aliquis, cur tandem ad ipsam armorum disciplinam latius explicandam non descendamus? cui ego id responsum velim, mei non esse instituti, arma explicare per species, singula minutius conscindendo & dispertiendo in minima (quod & infinitum esset, & minimè sane necessarium, pleni enim sunt multorum libri, ex quibus licet haurire quod velis) verùm generalia quædam rerum capita proponere, atque vnum in aggerem comportare. Itaque silentio inuoluemus arma illa vmbrata, Plana, Ingradata, irrasa, inuecta, indentata, quarteriata, crucesq; planas, patentes, figitiuas, funiculosas, perforatas, talentatas, floridas, floridas patentes, planas vndosas, inuectas, cruciatas, maculatas, maculatas perforatas, molendinares, inuersas, furcatas, ingradatas, truncatas, nodatas, floridas nodatas, duplopartitas, duplopartitas floridas, tripartitas floridas, vmbratas, molendinares vmbratas, floridas patentes vmbratas, floridas patentes vmbratas perforatas: floridas fimbriatas vel borduratas: atque ad illum Bartoli de Armis & insignibus tractatum accedemus, quem cum proposuerimus, ad colorum & tunicarum disputationem progrediemur. Animum itaque à me paulisper auertite, & Bartolum ipsum, non me loqui putatote: sic igitur ille.

Quædam sunt Insignia dignitatis vel officij, quę portare

tare potest quilibet habens illam dignitatem vel officium, vt insignia proconsularia, & legatorum, sicut de facto videmus hodie insignia episcoporum; & ista potest portare quilibet habens illam dignitatem, alijs autem portare non licet, Imò portans incurret crimen falsi, & ideo puto quod ille qui portat insignia Doctoratus cum non sit Doctor, teneatur illa pœna: verum hîc necesse est, vt illud præmittamus, Bartolum, hæc vocabula, arma & insignia non distinxisse: imo, & vocem, insignia, latius extendisse. Itaque secernenda sunt illa, quæ armorum propria sunt, ab eis quæ potius ad insignium naturam pertinere videantur. Redeo ad Bartolum. Quædam sunt insignia cuiuslibet singularis dignitatis, vt videmus, quilibet rex, quilibet princeps, & potentiores habent arma & sua insignia, & ista nemini alteri licet ferre, vel suis rebus depingere. Quod intellige principaliter: sed accessoriè non est prohibitum, vt puta in signum subiectionis, supponere insignijs proprijs insignia domini regis, vel Comitatus. Et hoc de consuetudine obseruatur.

Quædam sunt insignia seu arma priuatorum hominum, seu nobilium, vel popularium. De istis reperiuntur quidam, qui habent arma & insignia quæ portant, ex concessione imperatoris vel alterius domini, vt vidi concedi multis à sereniſsimo principe, Carolo quarto Romanorum Imperatore, nec non rege Bohemiæ. Et mihi tum consiliario eius concessit inter cætera, vt ego, & cæteri de agnatione mea Leonem rubeum cum caudis duabus in campo aureo portaremus. Et istis licet portare talia insignia. Nec est dubium; de principis enim potestate disputare, sacrilegium est. Sine enim Iudicis authorita-

te

te prohibetur, ergo cum Iudicis authoritate permittitur.

Sed quæro, vnus portat certa arma vel insignia: alius vult portare eadem, an licet, vel prohiberi possit? videtur, quod possit portare: quia, quilibet potest sumere nomen alterius, & possunt esse plures eiusdem nominis. Ergo potest quis sumere arma aliena: & plures eadem insignia portare, vel rebus imponere possunt, cum vtrūque fiat ad cognoscēdum. Contra videtur. Si enim prius est nostrum, sine facto nostro à nobis auferri non potest. Sed hoc non bene facit, intelligitur enim de his quibus plures in solidum vti non possunt, aliâs secus. Vt in vsu plateæ, balnei, theatri & similia.

Prætereà signum quod portat alius, non est vnum & idem, immò sunt diuersa, habentia tamen eandem similitudinem. Ad decisionem ergò præmissorum, præmitto, quòd signum alienum portare, prohibere potest ille cuius est signum, seu petere vt prohibeatur, si ex hoc ipse iniurietur, quod forte ille cum vituperio portat & tractat. Secundò, de hoc potest queri quilibet tertius qui læditur, & ad ipsius petitionem prohiberi potest. Tertiò, Iudex de officio suo, si viderit hoc ad scandalum esse posse, & dissentionem subditorum, potest prohibere.

His præmissis, in quæstione ptęmissa distinguitur, quòd si vnus assumit arma quæ alius portauit ab antiquo, & illius non interest, nec ex hoc verisimiliter lædi potest: exemplum, vnus Teutonicus tempore indulgentiæ venit Romam, vbi reperit quendam Italicum portantem arma antiquorum suorum & insignia. Volebat de hoc conqueri, certe non poterat. Tanta est enim distantia inter vtrunque locum siue domicilium, quod ex

hoc,

hoc, ille primus lædi non posset. Et in his in quibus quadam publica facultate quis occupat sibi vsum, non licet queri nisi ex magna causa. Quandoque potest contingere, quod alterius potest multum interesse; quid enim si odijs plenus, cuius vitæ multi insidiantur, assumat arma & insignia hominis quieti & pacifici? certè illius interest, & potest facere eum prohiberi, si vituperiosè portet, vt dictum est. Multò fortius potest peti ex hoc, ne propter vnionem Armorum alius pro alio occidatur vel iniurietur.

Hîc quæro, quid proderit habere ista arma ex concessione principis: respondeo, multum. Primò, quia est maioris dignitatis, sicut diximus in testamento facto corã principe. Secundò, quòd non possunt ab alio prohiberi illa portare. Tertiò, quòd si duo assumpsêrunt eadem arma seu eadem insignia, nec de prioritate, nec de posterioritate apparet, præfertur ille qui à principe habuit. Quartò, quòd si esset in exercitu, vel alio loco, & quæreretur, quis deberet præcedere, debent prę ferri illius arma quæ à principe sunt concessa: & prędicta intelligo, cæteris paribus, scilicet, quod illi qui habent arma sunt æqualis dignitatis: aliâs præcedent arma illius qui esset in maiori dignitate.

Quæro qualiter ista arma vel insignia transeant in successorem? Respondeo, Quædam sunt vnius domus seu agnationis, & illa transeunt in omnes de illa agnatione descendentes, siue sint hæredes patris vel aui eorum, siue non. Quandoque tamen multiplicantur hi, qui portant talia insignia, vel arma, & consuetum est per aliquos aliquid apponi vltra, vt ab alijs dignoscantur & discernantur, sicut nomini additur prænomen.

Secundò, principaliter est videndum, qualiter ista ar-

ma ſeu inſignia ſint impingenda, infigenda, ſeu portanda. Ad quod ſciendum eſt, quod quandoque portantur in vexillis, & vehiculis, quandoque in veſtibus hominis, in clypeis, in coopertis lectorum, & ſimilibus locis ſtabilibus. Circa quodlibet prædictorum aliquid videamus. Circa quod ſciendum eſt, quòd iſta arma quandoque ſumuntur ex aliqua re exiſtente, vt multi aſſumunt aliquod animal, vel caſtrum, vel montem, vel flores, vel aliquid ſimile; quandoque iſta ſigna non ſumuntur ex aliqua re exiſtente, ſed ſunt ſigna ſimplicia, ſcilicet variationes quorundam colorum, vel per dimidia, vel quarteria, vel per lineas rectas vel tranſuerſas, vel ſimiles: Quandoque mixtum ex vtriſque his præmiſsis videamus.

Qualiter portentur in vexillis iſta ſigna quæ ſignificant aliquam rem exiſtentem: ad quod dico, quòd ars imitatur naturam, in quantum poteſt. Vnde iſta inſignia debent eſſe ſecundum naturam rei quam figurant, & non aliter. De natura autem vexilli cum portatur in haſta, ſecundum illum vſum, ad quem vexillum deſtinatur, haſta præcedit & vexillum ſequitur. Vnde quando animal debet deſignari in vexillo, facies eius debet reſpicere haſtam, cùm de natura faciei ſit, antecedere. Idem & in omni re, & figura quæ habet partes quæ denotantur per, ante, &, poſt. Tunc enim ſemper pars anterior rei debet eſſe verſus haſtam. Alias videretur retrocedere tanquam monſtrum. Sed ſi alicuius rei pars anterior ſolùm portaretur per arma, vt ſunt quidam qui faciem Arietis vel bouis pro ſuo ſigno portant, tunc non poteſt pars anterior reſpicere haſtam, ſed à latere reſpicit.

Sed dubitatur, qualiter dicta animalia debeant deſignari

ſignari, vtrum quaſi ſtent erecta, an quaſi per terram planè ambulent, vel quomodo? reſpondeo, dicta animalia debent deſignari de nobiliori actu eorum, & etiam quo magis ſuum vigorem oſtendant, ſic etiam ab antiquò vſitatum eſſe videmus, quòd princeps in maieſtate, pontifex in pontificalibus depinguntur & deſignantur. Nũc ad propoſitum, dico, quòd quædam animalia ſunt, quorum natura fera eſt. Et iſta debent deſignari in actu feroci, vt leo, vrſus, & ſimilia. Figuratur ergo leo, erectus, eleuatus, mordax ore, & radens pedibus, & idem in ſimilibus animalibus, ex hoc enim actu magis ſuum vigorem oſtendit.

Quædam ſunt animalia non ferocia, & in his inſpici debet nobilior eorum actus diuerſimodè, vnde ſi quis equum portaret, non deberet eum deſignare erectum & eleuatum. Hoc enim vitioſum eſſet in equo, ideo debet deſignare eum rectum, & eleuatum parte anteriori aliqualiter, quaſi equus ſaliens. In hoc enim actu magis eius vigor oſtenditur.

Si quis agnum portet, hunc deſignare debet, quaſi planè ambulantem in terra: & ſic de reliquis animalibus.

Circa pedes etiam aduertendum eſt, quod ſemper pes qui antecedat, ſit pes dexter, quia vt precedenti li. dictum eſt, pars dextra eſt principium motus, aliâs, ſignaret talem figuram leuam eſſe, quod vitium ſonat. Sed hic erat dubium, quod ſi in vna parte vexilli figuraretur tanquam pes dexter procederet, ab alia parte videbitur pes ſiniſter procedere. Hæc autem incongruitas magis euidenter apparet in ijs, qui pro ſuis armis aliquam literam vel literas portant. Nam ab vna parte ſunt literæ rectæ, ab altera parte communitet non eſt forma literarum,

quæ apparet, ſi quis literas conuerſas à latere conuerſo reſpicit.

Sed dicendum eſt, quòd ſicut in literis reſpicitur altera pars quæ reſpicit ſcribentem, non pars conuerſa, ita in vexillo reſpicitur pars quæ reſpicit portantem, non alia. Quod enim ex alia parte eſt, non ex principali propoſito contingit, ſed per accidens, ſicut ſi quis ſeipſum in ſpeculo aſpiciat. Quod enim in ſe dextrum eſt, in ſpeculo ſiniſtrum apparet. Sed ſi loquimur de vexillis, quæ portantur in tubis, tunc facies rei, vel deſignatæ pars anterior non debet reſpicere tubam, ſicut haſtam.

Sed quid ſi portentur duo animalia ſeipſa reſpicientia? & tunc non eſt locus prædictæ inueſtigationi, quia in incertis, non certis locus eſt coniecturis.

Quando arma ſunt quædam inſignia ſimplicia, & varietates quorundam colorum, tunc aduertendum eſt qualiter debẽt portari, & in nobiliori loco poni. Præmitto autem, quod locus prior & ſuperior eſt nobilior poſteriore. Hoc præmiſſo, dico, quod arma quandoque variantur per medium, vt cum quis portat Banderiam duorum colorum, tunc, aut diuiduntur per medium, aut per ante & poſt, & in iſtis caſibus, in dubio eſt, vtrùm Color nobilior debet eſſe ſupra, id eſt, in ea parte quæ reſpicit cœlum, vel antè, id eſt, in ea parte quæ reſpicit haſtam. Si vero varietur per Quarteria, tum nobilior color debet eſſe in Quarterio ſuperiori, & anteriori prope haſtam. Si vero variatur per liſtas directas, tunc liſta colorum nobiliorũ debet eſſe prope haſtã, ſi vero varietur per liſtas tranſuerſas, liſta coloris nobilioris debet eſſe verſus cœlũ, ſi vero liſta vel bãdæ ſunt pendẽtes, tunc cum haſta habeat ſe tanquã pars prior in banderia, ideo pars magis eleuata debet reſpicere haſtã.

Sed

Sed dubitatur, quis color sit nobilior. Notandum. Nam color vnus est nobilior altero, respectu eius quem representat, vel secundum se. primò color aureus nobilior est, quia per eum representatur lux. Si quis enim vellet figurare radios solis, quod est corpus magis luminosum, hoc non posset congruentius facere, quàm per radios aureos. Constat autem, quod nil luce nobilius.

Sequens color nobilis est color purpureus, seu rubens, qui figurat ignem, qui est super alia elementa, & nobilius elementum est, & corpus post solem secundariò luminosum. Ideo licet nulli portare vestes comptas eius colore nisi principi.

Sequens post prædicta, color est azurus. Per eum enim figuratur nobilis aer. Qui est corpus transparens & diaphanum, & maximè receptiuum lucis, & elementũ, post ignem alijs nobilius. Vnde prædicti colores propter id quod representant, dicuntur nobiliores. Qualiter autem colores dicuntur nobiliores secundum se, dico. Sicut lux est nobilissima eiusque contrarium dicuntur tenebræ, sic verisimè fit in coloribus secundum se. Color albus est nobilior, quia magis appropinquat luci, niger est infimus, quia magis appropinquat tenebris, Colores autem medij sunt nobiliores, & etiam minimè nobiles, secundum plus vel minus quod appropinquant albedini vel nigredini,

Dixi quod quandoque ista arma tractantur super vestibus hominum, tunc istud quod in armis habet se vt pars superior, debet esse versus caput hominis: quod verò habet se vt inferior, versus pedes. Item in eo quod depingitur in anteriori parte hominis, vt in pectore: pars nobilior debet respicere latus dextrum, est enim illa nobilior pars & principium.

Si in coopertis equorum, tunc pars nobilior debet respicere caput equi.

In coopertis lectorum, in parietibus, &c. facile ex istis apparet.

Atque ista ferè Bartolus, quæ nostram de armis orationem terminabunt.

De tunicis & coloribus.

Etsi igitur ea quæ dicta sunt, satis videri possunt colorum naturam & dignitatem explicare, non erit tamen alienum, illis quæ præcesserũt, pauca subiungere. Ac primò quòd ad tunicas attinet.

Vtuntur quidam vestibus varijs coloribus insignitis, magis fortasis ad voluptatem & ostentationem quandam, quàm iudicium & eruditionem indicandam. Multi tamen & nunc sunt, & fuerũt olim plurimi, qui certis quibusdam coloribus vestes distinxêrunt suas, tum vt sic alijs sensa experimerent, tum vt gratũ intuentibus aspectum præberent: Angli vacant, **Liuery**, vestem certa quadam colorum varietate distinctam, qua serui induti sunt, non tam vt aliquid secretum exponant, quam vt suos ab aliorum seruos secernant: hinc satellites Serenissimæ nostræ Reginæ Elizabethæ Tunicis vtuntur suo colore tinctis: cum literis E. R. aureis, & in dorso & in pectore intertextis. Nemoque est vel Dux, vel Comes, vel generosus, cuius serui non distinguantur suis vestium coloribus, atque animalis, vel alicuius rei figura læuo affixa humero. Veteres Patriarchæ stolis vtebantur, ait Contiles, colorum varietate distinctis, sacerdotes sericis multiplici colore ornatis. Ioseph Iacobi filius vestem habuit splendescentem, & varijs illustratam coloribus: Ista colorum varietas, in seruis, **Liuery**, in alijs **Deuise** appellatur.

Quid

Quid color, vnde proficiſcatur: quid lumen; vnde variæ colorum ſpecies profluant, non eſt quod multis diſputemus. Profligata iam pridem hæc eſt ab Ariſtotele, & ad exitum deducta quæſtio, in libro de ſenſu & ijs quæ ſenſibus percipiuntur: ex varia colorum miſtione, diſtinctiſque proportionum gradibus, colorium varitates demonſtantur, qui medij appellantur.

Iſidorus libro 16 flauum tantò ſuperare album contendit, quantò ſol lunam ſuperat. Aureus itaque color præſtat argẽteo, hoc eſt albo. Præſtat enim aurum. Hinc illud poetæ.

Vilius argentum eſt auro.

Aurum, ait Cęlius Rhodiginus, ſapientiam illam ſignificat, quæ diuina contemplatur: argentum verò ſcientiam quæ res naturales perſcrutatur.

Albus victoriam indicat, itaque triumphantes albis vtebantur veſtibus: Quin & candor, puritatem, caſtitatem notat. Itaque virgilius,

Cana fides, & Veſta &c.

Flamen, vt teſtatur Varro, cum Ioui ſacra ferebat, totus albatus erat, & pileum etiam geſtabat album: vt veſtium candor animi notaret puritatem: hinc & Veſtalium virginum ſuffibulum album erat: hinc illud, *Dies niueo notanda lapillo*, &, ——*pura cum veſte venite.* Similes huic Achatés & Margarita.

Chriſtus in monte Thabor transformatus, veſtium ſplẽdore niues æquauit, Idem albis indutus victor euaſit è ſepulchro. Petrus in carcere ſubleuatus eſt, ab Angelo candida veſte ornato. Ioannes in Apocalypſi vidit Martyres albis indutos ſtolis ſanguine reſperſis. Cicero 2. de legibus, color albus, ait, præcipuè decorus Deo eſt,

cùm

cùm in cæteris, tum maximè in textili.

Candor ille, quem Græci φλογόλευκον vocant, habens nimirũ aliquid comistum quasi flammæ. Deo sacer est, principio infinito, ait Farra. Vnde Teniæ Osiridis diuinum principium significantes, albæ erant, quas nefas erat profanis oculis inspici.

Pallor amantem notat. Cineritius color, apud Agyptios, infaustus putabatur.

Aurum Plato ponit pro sapientia in 2. Alcibiade; & in Euthydemo, fœlicissimi dicuntur Scythæ, quia in mortuorum capitibus portarunt aurum, quasi in loco & sede ipsius intellectus. Aristoteles in politicis, aurum rem diuinam vocat.

Sed si inter alborem & nigrorem comparatio instituatur, vter tenebit principatum? Alborem quidam anteponunt, quia est lucis particeps, cum Nigror tenebras significet. Quid quòd fausta omnia ac felicia notet albus color, cùm nigro & pullo colore in parentalibus vtantur homines. Quod ex historia Thesei proditum est, Ille enim interfecto Minotauro cùm rediret in patriam, nigroq; velo per imprudentiam vteretur, pater Aegeus hoc signo tanquam lugubri ac funesto consternatus, quippe qui filium extinctum esse crederet, se in mare præcipitem dedit.

Pro Nigrore hæc afferuntur, Albor varius est & mutabilis, facileque in alios commutatur colores, itaq; minus nobilis, cùm tam facilè maculetur ac polluatur. Nigror verò fortis est, suamque conseruat dignitatem, nec facilè transmutatur. Porro Aquila, quo magis obscurus, eò generosior: vt id omittam, lapides esse quosdam nigros, eosdem tamen preciosissimos. Virgilius candorem caducum appellat, constantem vero nigrorem. Vnde

de illud in Bucolicis,

Alba liguſtra cadũt, vaccinia nigra leguntur.

Niger congregat, albus vero diſsipat viſum: niger oculus maximè laudabilis. Hinc illud in Canticis.

Nigra ſum, ſed formoſa, &c. *Et ibidem.*

Capilli eius nigri ſunt, &c.

Hæc in vtramque partem diſputantur. Bartolus erit arbiter honorarius.

Rubor ardorem bellicum notat, cædem & ferociam tacitè arguit. Itaq; magnus ille & horrendus Tamerlanus (ait Petrus Crinitus) primo die album tentorium oſtentauit, quod pacem indicaret, veniamque promitteret obtemperantibus. Secundo verò rubrum, quod ſanguinolentum erat ſignum, mortiſque indicium: Deniq; tertio die, nigrum prætendebat, quo peſsima quæque, & omnium internecionem minabatur.

Neque tamen ſemper, vel nigror notat mortem, vel rubor ſanguinem, ſed hic ſæpe amorem, ille grauitatem ſignificat. Obſeruanda eſt etiam temperatio graduſque colorum; rubor enim vel magis, vel minus eſt ruber: & ita in cæteris.

Purpura eſt quaſi pretioſa, ait Iſidorus: illius dignitas explicatur à Iaſone in tractatu de coloribus, quam quidam ſolis principibus magniſque viris tribuunt. Pudoris inditum à quibuſdum perhibetur. Hinc prætexta Romanos pueros admonebat, verecundiam in dictis factiſque obſeruandam. Cato dixit magis placere ſibi adoleſcentes qui rubeſcerent, quam qui palleſcerent. Et Diogenes verenti cuidã: cõfide fili, inquit, hic enim virtutis eſt color: vnde illud Terentij. Erubuit, ſalua res eſt.

Qui pluta cupit, legat Cassaneum : ego totum hunc locum concludam istis Alciati carminibus.

Index mœstitiæ est pullus color, vtimur omnes
hoc habitu, tumulo cùm damus inferias.
At sinceri animi, & mentis stola candida puræ:
hinc sindon sacris linea grata viris.
Nos sperare docet viridis, spes dicitur esse
in viridi, quoties irrita retro cadit.
Est cupidis flauus color, est & amantibus aptus,
& scortis, & queis spes sua certa fuit.
At ruber armatos equites exornet amictus,
indicet & pueros erubuisse pudor.
Cæruleus nautas, & qui cælestia vates,
attoniti nimia relligione petunt.
Vilia sunt giluis, natiuaque vellera burrhis,
qualia lignipedes stragula habere solent.
Quem curæ ingentes cruciant, vel zelus amoris,
creditur hic fulua non malè veste tegi.
Qui squis sorte sua contentus, Fanthina gestet,
fortunæ æquanimis tædia quique feret.
Vt varia est natura coloribus in gignendis,
sic aliis aliud, sed sua cuique placent.

Liber

Liber tertius de Symbolis, Emblematibus, & Hieroglyphicis.

Σύμβολον ἐστὶν ἐξ οὗ ἐστιν ἡμᾶς συμβάλλειν καὶ γνῶναι. Symbolum (inquit Claudius Minos) est id quo aliquid coniectamus & cognoscimus. Significat tesseram vel signum bellicum, notam; quin & pecuniam, vt apud Terentium, Symbolum dedit, cænauit, denique argumentum quo aliquid occultatur, quomodo hic accipimus: non tamen ita, vt id omne à nobis, hoc in loco Symbolum appelletur, quo aliquid occultatur, (etsi ea sit vocis vis) sed vt catachresticωs id Symboli titulo insigniatur, quod ab Italis *Impreſe*, ab Anglis Gallisq; **deuise** nominatur Itaq; genus pro specie ponimus, quia vocabulum non suppetit, & *Impreſe* Symbolum synecdochicωs appellamus, cum tamen & insignia, & Hyeroglyphica, & cætera quæ alijs in locis à nobis sunt explicata, Symbolica iure videantur.

Itali, hæc honoris insignia de quibus instituta est disputatio, & inuenerunt penè soli, & soli penè perfecerũt: Italorum ergo sententias latinis literis illustrabimus.

Exordiemur autem à Paulo Iouio: Nã is primus est, qui præcepta tradidit, constituitq; nouam quandam symbolorum quasi disciplinam; deinde quid Hieronymus Russellus, Alexander Farra, Lucas Contiles, Scipio Bargaglius, adiecerunt, subiungemus. Nam & Paradinus, & Lodouicus Dominicus, & Gabriel Simeon, cæterique minuta quædam exempla obtrudunt potius, quàm rei naturam inuestigant. Sic igitur Iouius.

Quinque mihi necessariò requiri videntur ad perfectam symboli naturam absoluendam. Primum id est, vt inter animam & corpus iusta quædam intercedat proportio & analogia. Secundum, vt neque tanta tenebrarum caligine inuoluatur, vt Sybilla quæpiam interpres videatur adhibenda, neque ita apertum sit ac peruulgatum, vt vel è media plebe petitus homunculus & legat, & intelligat. Tertiò in loco, illud diligenti cura & industria longè maxima prouidendum est, vt pulcher satis aspectus, vt ita loquar, vultusque venustus videatur, vt voluptate quadam amœnissima intuentis animus compleatur; quod tum fiet, si Sol, Luna, Stellæ, Ignes, Aqua, Arbores, Animalia, inducãtur: Quarto, vt nulla humana forma adhibeatur. Vltimum id est, vt sententia ipsa tanquam anima cum corpore coniungatur, quæ quidem plerumque peregrino sermone proponi debet, non illo, quem simul cum lacte nutricis exuxerit ille, qui primus id symbolum excogitauerit: ita enim sensus erit obscurior. Breuitas etiam in sententia laudabilis est, sed non ita tamen vt dum,

Breuis esse laborat, ——obscurus fiat,

Author ipsius symboli. Duobus itaq; vel tribus verbis optimè absoluetur, nisi versu fortassis aliquo vel integro, vel dimidiato concludatur. Et vt melius, quod

dictum

dictum est perspiciatur, illud ponendum est, per animam & corpus, nihil nos aliud intelligere, nisi ipsam sententiam vel vocem, vocique substratam suam materiam. Quòd si vel forma materiæ desit, vel formæ materiam non subijciatur, rude quodammodo & imperfectum erit symbolum, nec suis numeris absolutum. Cuiusmodi erat illud Cæsaris Borgiæ: aut Cæsar, aut nihil: de quo lepidè Faustus Romanus:

Borgia Cæsar erat, factis & nomine Cæsar,
Aut nihil, aut Cæsar, dixit: vtrumq; fuit.

Hîc enim defuit corpus. Aliquando autem desideratur anima: vt in eo Hyppolitæ nobilissimæ dominæ, quę vestem quandam latè diffusam, cæruleo colore tinctam, culicibus aureis interfertis exornauit, vt amatores intelligerent propius ad ignem accedendum nõ esse, ne idem illis contingat, quod culicibus euenire solet, qui cùm flammam diutius circumcursitant, correpti tandem ab igne, leuitatis pœnas persoluunt, & temeritatis suæ.

Reperiuntur etiam symbola quædam, quæ & corpus habeant & animam, aspectu pulchra, gratissimisque coloribus illustrata, sed inepta tamẽ & obscura nimis, quia corpus cum anima nullo necessitatis vinculo coniungatur.

Huiusmodi quiddam habuit Laurentius Medices, qui laurum proposuit duobus leonibus circumseptam cum voce, *Ita & virtus*, quòd, vt laurus perpetua viriditate floreſcat, sic virtus alienis nunquam sordibus obsoleſcat. Quid verò sibi vellent duo isti leones, nemo erat, qui poterat explicare. Plura sunt apud Iouium ineptiarum exempla, quæ prætermitto; cum rectum sit index sui, & obliqui. Hæc igitur sunt illa Iouij præcepta quin-

que. Nam exempla in alium locum reijciemus.

Sequitur illa Russelli disputatio.

Quinq; requirit Iouius, quorum quædam præclarè posita sunt, quædam ineptè instituta. Prima enim & quinta proprietas cõfunduntur. Nam si iusta sit corporis & animæ quasi symmetria, quid opus est vt illud adijciatur postremo in loco, Animam adiungendam esse, hoc est vocem?

Quid? quod vox ista, anima appellari nõ debeat, quãquam videri possit, figuras ipsas, corporũ quasi speciem prẹse ferre. Ineptum enim est hoc modo in omnibus rebus animam & corpus inuestigare, vt si quis in Musica, descriptas notas corpus appellet, canentis vocem, animam. Symbola esse possunt vel sine voce, vel cum voce coniuncta: tamque hæc, quàm illa, nec illa minus quàm hẹc, sunt. Symbola appellanda: sed diuersa tamẽ symbola, & discrepantes constituentia symbolorum species. Anima est ipsa authoris, si ita loqui liceat, intentio, institutũ, propositum, sensus & significatio, id inquam, quod quis cupit per vocem figuramq; exprimere. Atq; ista, vt appareant illustriora, sunt paulò altius repetenda.

Qui primus ergo symbolũ excogitauit, voluit nimirum hac ratione implicatam animi notionẽ euoluere, eamq; vel dominẹ, vel amicis, vel alijs intuẽtibus ostendere. Nouit autẽ, vt animi sensa alijs explicaret, opus esse vel voce, vel signis. Vox sæpe non est satis, qua tũ demum vti licet, cùm vel nos ipsi, vel alij nostri gratia, præsentes sint, coramq; constituti: quod, quò minus fiat, vel temporũ, vel locorũ interuallis impediri potest. Quod ad signa attinet, vidit literas & figuras ad id quod voluit, esse maximè accommodatas. Itaque primò figuris vsus est, vt magis vniuersalibus, & ad plures dimanantibus.

Literæ

Literæ enim preterquã à paucis non intelliguntur, à ſolis nimirum literatis: cum figuras vel pueri percipiant expeditè ſatis. Deinde ſingularum gentium ſuæ ſunt, vt linguæ, ſic literæ, quæ à ſuis duntaxat intelliguntur: animalium autem, plantarumq;, & huiuſmodi rerũ figuræ notæ ſunt omnibus, patentq; latiſsimè. Quo in loco illud præcipiendum videtur, ne in ſymbolis conſtituendis, ignota, rara, ſinguliſq; vel ciuitatibus vel regionibus cognita animalia, plantaſq; formemus, ſed ea potius quorũ apud omines peruulgata eſt naturæ cognitio: Nã quod ad Phœnicem attinet, etſi vnicus ſit, non eſt vnus tamen qui non vel legerit, vel audiuerit, quæ de eodem poetæ cecinerunt. Cùm ergo iſta veterum ſymbola ſolis figuris continerentur, vel vox non erit ſymboli anima, vel iſta non erunt perfecta ſymbola. Verùm cùm iſta inſederit in animis hominum opinio, vt euelli facilè non poſsit, ſit ſane vox ipſa, quaſi anima perfecti ſymboli: ſenſus autem & ſignificatio, quaſi operatio quædam dicatur, ab eo tertio deriuata, quod iam ex anima & corpore conſtitutum eſt.

Cur voces figuris adiunctæ fuerint.

Qui vero vocem figuris adiecit, is iam animi ſui notionem perfectius & elegantius explicare voluit, commodius etiam & tutius, maiorique cum intuentium delectatione, dignitate verò ſua. Nam ſi quid literis mandare voluerimus, fieri poteſt, vt id iam typis excuſum, ab amica vel non inſpiciatur, vel inſpectum non perlegatur. Quid igitur commodius excogitari poteſt, quàm breuiter, acutè, eleganter, expreſſam animi notionem in vexillis, in tunicis, in ſcutis, in nũmis, in ſigillis, in pileis, circumferre? cuius & breuitas alliciat ad legendum, & venuſtas inuitet ad conſiderandum? cuius & elegantia

picturæ

picturæ pascat oculos, & vocis cum illa quasi symmetria, perfundat animum humanissima voluptate.

Sed vt in omnibus rebus nihil est simul inchoatum & absolutum, ita & ista quæ appellamus symbola, sua habuêrunt initia, suos progressus & incrementa. Primò enim voces addebantur frigidæ & ineptæ, & ob eam solùm causam institutæ, vt quid ipsæ essent figurę, demonstrarent: sic fœmina picta, cum voce, *Roma*, Romam indicauit. Deinceps vero accesserunt voces, non quid essent, sed quid exprimerent figuræ, explicantes: ita celebratur ille anchorę implicatus Delphin, cum adiecta voce, *Festina lentè*: quod mihi quidem videri solet ineptissimum. Videtur enim qui ita faciat, rudes & imperitos legentes existimare, qui rem tam facilem atque explicatam sine vocis ipsius interpretatione non possint comprehendere. Quin & ad hæc mala id etiam accedit, quod vel figura, vel sententia hoc pacto videri possit minimè necessaria, cum nihil illa contineatur, quod ista non comprehendat. Tollatur enim Delphin anchora inuolutus, scribatur, *Festina lentè*, quid aliud id sibi vult, quàm quod figuræ voluerunt?

Numerus figurarum in symbolo.

Duo sunt in omni symbolo præcipuè consideranda. Breuitas & perspicuitas: breuitas vel in figuris sita est, vel in verbis. Figuræ essentiales, vt loquuntur, duæ duntaxat inducantur. Plures enim, si in pileis tunicísue proponantur, tam citò nec legi possunt, nec intelligi, vel ab amicis è fenestris aspicientibus, vel ab alijs huc illuc cõfluentibus. Itaque plures esse non debent quam duæ: sic enim vno quasi aspectu & intuitu, ab illis animaduerti possunt; ita vt si primò non percipiantur, hæreant tamen in animo, donec diligentius examinatæ intelligantur.

Duas

Duas ergo licet inducere, rarò tres: Literæ enim etsi plures sint, certum tamen habent & determinatum ordinem, ita vt quæ prima, quæ secunda collocari debeat, facilè appareat sine vllo perturbatæ confusionis periculo, quod in figuris ita non fit: quæ, si plures fuerint, perturbatæ sunt, nec quæ prima, quæ postrema in significando accipienda sit, facilè animaduerti solet.

Neque tamen hoc à me ita dictum existimari velim, quasi ad individua & singularia referri oporteret, non autem ad species formasque rerum. Verbi causa, duo Cigni cum Aquila dimicantes, à Cardinali Mantuano constituti: vnam duntaxat efficiunt figuram. Quia sub vnius formæ ambitu contineantur, neque species constituant rerum discrepantes. Quæ vero extrinsecus adueniunt, & symbolum non tam efficiunt exornandum, quàm illustrant iam constitutum, plures esse possunt ad ornatum & elegantiam ipsius picturæ conducentes, sic in illis duabus columnis quæ in sacris literis exprimuntur ob oculos proponendis, quarum illa ignis erat, hæc nubis, solis & lunæ effigies adumbratæ sunt, vt diem noctemq; elegantius demonstrarent: vox erat, *Este duces.* Iudicio itaque hic opus est, cum fieri possit aliquando, vt ex ipsa figurarum multitudine distinctior sententia proficiscatur.

Quinetiam ex vnica sæpenumerò figura conficitur symbolū, si modo vox accōmodatè respondeat, non ita, vt quid sit figura, explicet, sed vt cum corpore cōiuncta, Autoris cogitationem eleganter exponat.

Ea mihi videri solent symbola venustissima, quæ figuras habent, ex eorum armis gentilitijs deriuatas, qui ipsa protulerunt.

An forma humana formari debeat.

Negat Iouius,quo iure,neſcio:nam in præceptis nõn ponit,quod probat in exemplis, vt in eo, cuius vox eſt, *ſeruus curru portatur eodem*. Itaque pugnantia ſe loqui non animaduertit. Verùm quia fieri poteſt,vt legem ipſe ferat bonam,latæ autem non obtemperet,vt iniquum ſit hominis culpam in rei ipſius naturam velle diffundere, videamus qua ratione, cuius authoritate inductus hanc promulgauerit. Authoritas nulla eſt,nam & AEgyptij in Hieroglyphicis, & Romani in nummis id vſurparunt. Quænam ergo ratio reperiri poteſt? nam ſi rebus ab homine effectis in ſymbolis locus relinquatur, cur nõ & ipſi homini eorum authori & artifici rebus ipſis profectò præſtantiori? Hoc igitur vel dixit,vel dicere debuit Iouius, nec hominis, nec fœminæ formam vulgari more veſtitam & efformatam, in ſymbolis conficiendis proponi oportere, ſed ita mutatam, vt noua atq; inuſitata videatur effigies. Quomodo in comedijs & tragedijs fieri ſolet, vbi laruis velantur actorum vultus, & quaſi velis quibuſdam obtenduntur. Nihil autem impedit quò minus deorum, nympharum, & ſatyrorum, vultus formæque proponantur. Alciati & aliorum Emblemata huiuſmodi picturis plena ſunt: etſi autem differant Emblemata à ſymbolis, non ita tamen differunt vt ſi humana forma vti liceat eorum vni, non liceat etiã & alteri. Neq; verò eſt quod me frangat Iouij nomen,cùm habeam quas opponã aliorũ authoritates non minores.

Emblematis cum ſymbolo comparatio.

EMblema eſt (ait Sambucus) quicquid interſeritur ornatus cauſa. Ideo dicuntur Emblemata, quòd eiuſmodi

modi imagines sententiosæ, opere tessellato, parietibus aut vasis, inseri consueuerint. ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλεσθαι, vel ἐπεμβάλλεσθαι, interserere Sic enim domus magnatum ornabant veteres lapillis quadratis, sectisq; & laboratis, in quibus εἰκόνες quædã intertextæ videbantur. Hinc metaphoricῶς Emblemata dicuntur carmina, quibus imagines, agalmata, pegmata, & id genus alia scitè inuenta, eruditè explicantur. Hinc illud Lucilij,

Quam lapidè lexeis compostæ, vt tesserulæ omnes,
Endo pauimento, atq; emblemate vermiculato.

Extant Sambuci, Bezæ, Annuli, Reusneri, Faerni, Iunij, Alciati, atque aliorum emblemata. Ego vnum aut alterum ex infinitis eligam, & exempli causa introducam. Omitto Isidis effigiem, ab asello vectam, ab Hadriano Iunio explicatam. Ponam tantummodò circumstantium responsum.

Ipse deus non es, sed vobis ipse deum.

Prętermittam etiam & illud eiusdem, de mustela, quę aure concipit, ore parit: sic diu cogitandum priusquam eloquendum. Describam illud, cui ἐπιγραφὴ, superbia, de statua Niobes saxea, illiusque sobole Apollinis & Dianæ sagittis miserè confixa, de quo sic cecinit Baptista Gyraldus.

Este procul læti, cernant mea funera tristes,
non similis toto mœror in orbe fuit.
Bis septem natos peperi, bis pignora septem,
(me miseram) diuûm sustulit ira mihi.

Dirigui demum lachrymis, & marmora manant:
Sic mihi mors dolor est, sic mihi vita dolor.
Discite, mortales, quid sit turgescere fastu:
& quid sit magnos posthabuisse deos.

De morte & amore Ioachimus Bellaius.

Mutarunt arma inter se mors atque cupido:
hic falcem gestat, gestat & illa facem.
Afficit hæc animum, corpus sed conficit ille,
sic moritur iuuenis, sic moribundus amat.
Vt secat hæc iugulos, oculos excæcat & ille:
illa vt amare docet, sic iubet iste mori.
Disce hinc humanæ quæ sint ludibria vitæ,
mors thalamum sternit, sternit amor tumulum.
Tu quoq; disce tuas, Natura, inuertere leges:
si pereunt iuuenes, depereunt q; senes.

Beza de globo.

Cernis vt hæc mediũ cingat teres vndiq; punctũ
linea, & hinc spatio distet, & inde pari?
Scilicet illa refert, quod nos tegit vndiq; cælum,
tellurem, hoc punctum quod tenet ima, notat.
Cur igitur doleas, quorsum dic, quæso, labores,
tu, patria pepulit quem pietatis amor?
Cælum si versus tendis, quocunq; recedes
hinc spatio cælum cernis, & inde pari.

Idem

Idem de homine in cœlum conſpuente.

Cernis vt hic cœlum fœdo qui conſpuit ore,
non cœlum, immo ſuos conſpuit ipſe ſinus?
Et tu cœlorum domini contemptor, in illum
non quot verba iacis, tot tibi probra vomis?

In emblemate vox figuram exponit, quod in ſymbolo vitium vel maximum eſſe ſolet, in quo, non vox figuram, nec figura vocem: ſed figura cum voce, animi notionem explicat. Emblema ita conſtituitur, vt generalis ſit illius præceptio & doctrina: ſymbolum autem proprium eſt, & ad vnius alicuius hominis inſtitutum indicandum, accommodatum: nec tamen inficias eo, eadem ſymbola pluribus conuenire poſſe: Nam & in honore, & amore, eadem poſſunt eſſe multorum vota, ſimiles voluntates: verum in ſymbolo conficiendo, mei, non aliorum, rationem habeo, alijs non præcipio, alios non reſpicio, licèt res ipſa poſsit & alijs conuenire, qui eodem modo affecti fuerint, & à natura comparati.

Poſtremò, in Emblemate, quo plures conſpiciuntur figuræ, eò gratior eſt aſpectus, dummodo cohæreant: nam id ſignificat ipſa vocis vis: at certus eſt, vti diximus, in perfecto ſymbolo figurarum numerus. Emblemata patent, in promptuque ſunt omnibus, & ab omnibus ſumi poſſunt, & pro arbitratu accommodari. Symbolum eſt ſolius authoris, & eorum, qui eodem planè modo comparati ſunt: ita vt ſuo quodam iure in alienas penè poſſeſsiones irruere poſsint, ita tamen vt noua facies inducatur, nouuſque apparatus.

Vetus erat conſuetudo, notionem animi nummis inſculptam proponendi: aliquando cum inſcriptione,

ſine inſcriptione aliquando. Quod etiam ab Hæbreis deductum videtur Alexandro Farræ, in Septenario ſuo: qui ſe habuiſſe teſtatur nummum Solomonis, cuius altera ex parte erat vera Solomonis effigies: ex altera verò, templi figura, cum inſcriptione iſta, literis Hæbreis, *Solomon rex*. Quin & nummum ſe vidiſſe affirmat, in quo Chriſti facies ita erat expreſſa, vt eſt à Nicephoro explicata, primo libro hiſtoriæ eccleſiaſticæ.

Cauſæ à Contili plures afferuntur, cur antiqui res ſuas geſtas, ſuorumque vultus & imagines in Metallis ſæpe impreſſas & efformatas eſſe voluerunt. Nam & pauci tum erant ſcriptores, & libri ſcripti mille caſibus expoſiti ſunt, igni, aquæ, bellis, cùm Numiſmata etiam in terræ viſceribus abdita, quàm diutiſsimè permaneant. Quibus illud etiam adiungi poteſt, quod poſteri, cùm veros maiorum intuentur vultus & effigiem, lætitia perfundi poſsint, & ad eorum res geſtas imitandas excitari. Antiquiſsima eſt illa Iani effigies, puppiſque in ære formata, de qua Ouidius primo Faſtorum.

At bona poſteritas puppim formauit in ære
hoſpitis aduentum teſtificata dei.

Et videntur ſane Numiſmata ſtatuis antiquiora. Nam iſte Iani nummus, & Beli ſtatua à Nino facta, & illa à Prometheo græcorum ficta, videtur antiquior.

Numiſmata ſunt potius hiſtoriæ, teſteſque rerum iam ante geſtarum, quàm indicia futurarum. Itaque non ſunt ſymbola: quanquam licebit vel Symbola, vel emblemata, vel Hieroglyphica in metallis, aliaue materia exprimere, pro arbitratu. Sed certè veteres non eo

modo, nec in hunc ferè finem nummis videntur vsi: etsi quædam Numismata reperiantur, quæ contineant Emblemata quædam & Hieroglyphica, non autem symbola, nisi imperfecta, & res iam gestas significantia potius, quàm futuras prædicentia.

Vox. Verba in Symbolo.

HIc opus est magno Iudicio & subacto ingenio, in verborum & rotunda breuitate, & iucunda perspicuitate moderanda: si enim symbola constituenda sint vel in ludorum spectaculis, vel pompis & velitationibus, vel alijs amantium exercitijs, ita vt semel solùm, idque obiter inspiciantur, tum sanè perspicuitas quàm fieri potest maxima adhibenda est; tam in verbis quàm in figuris: sin ita comparata fuerint, vt typis excusa, æternitati consecrentur: omniumque oculis & animis obijciantur, leuis quædam obscuritatis quasi nebula obducta, grauitatem quandam ipsis adijciet symbolis, dignitatem & maiestatem: sed in illis amatorijs omnia debent esse explicata & facilia, vt primo aspectu, idque à fœminis percipiantur, quarum gratia plerunque instituta sunt: Itaque minuenda est Iouij opinio, qui peregrinas potius voces inducendas existimat, quàm quas nostrates vsurparunt: minuenda est inquam ista Iouij sententia, eoque magis minuenda, quòd cum fœminæ peregrina non intelligant, frustra in illis excogitandis labor suscipietur, cum ab illis non percipiantur, quarum gratia comparata sunt. Sin vero Iouius de ijs tantummodo symbolis hoc præcipiat, quæ sunt in omnem æui diuturnitatem comparata, ferendum est, quod præcipit.

Verba

verba itaque duo ſint : nam difficilimum eſt, vnō verbo ita dicere, vt quid dicas, intelligatur : optimum tamen eſt, etſi ſit difficilimum. Qui vero numeri binarij limites tranſilierit, quò longius progreditur, eò mihi videtur ineptior, niſi verſus vel dimidiatus vel integer proferatur : carmen enim numeris aſtrictum, quamuis plura contineat verba, habet tamen neſcio quid ſuauitatis & facilitatis iucundiſsimæ. In ſoluta autem oratione, qui plura, quàm quatuor verba protulerit, is ferè mihi diſplicebit, præſertim ſi voces fuerint productiores, pluresque quàm vnam aut duas contineāt ſyllabas. Siue autem ſoluta ſit oratio, ſiue aſtricta numeris, id certum eſt, pauciora verba in amatorijs ſymbolis eſſe oportere, quæ celeriter quaſi euaneſcunt, quam in ijs que iam poſteris prodita, diutiſsimè permanebunt.

Vocis cum figura coniunctio.

Cauendum hic eſt, ne verba figuram declarent, neue ſola per ſe ſenſum efficiant plenum & perfectum, quod iam ſæpè diximus : ſed, ſi loco moueantur, & à figura ſeiungantur, imperfectum neſcio quid relinquant, & tale quod non intelligas.

Præterea, nullum eſt eiuſmodi verbum in ſententia ipſa ſiue voce ponendum, quod alicuius figuræ nomen ſit in ipſo iam ſymbolo comprehenſæ. Vt, ſi in ſymbolo figuretur mons quiſpiam, non erit montis nomen in ſymbolo collocandum : etſi Franciſcus primus Gallorum rex, illud non obſeruauerit, qui cùm ex hac vita in alium quaſi orbem eſſet migraturus, & ipſius orbis figuram effinxit, & orbis vocabulum in ſententia vſurpauit in hunc modum.

——— *vnus non ſufficit orbis.*

Denique

Denique in ſententia componenda, ſi verbis omiſsis, nomina duntaxat induxerimus, ſymbola videbuntur iucundiora, vt in ea voce, *ſic vos non vobis.*

Symbola in aliorum honorem inſtituta.

Neceſſe eſt, vt huiuſmodi aliquo inſigniantur titulo atq; inſcriptione, ne, dum alios laudare volumus, nos ipſi laudaſſe videamur, quod eſt arrogantiæ.

Atq; iſta decerpſimus ex Ruſſelli commentarijs, quibus adijciam Alexandri Farræ iuriſconſulti regulas, in illius Septenario in hunc modum explicatas.

Tres homines poſuêrunt Hæbrei, Idealem, ſine corpore: cœleſtem, corpus ſine anima, ipſam vniuerſi machinam: corpuſq; cum anima coniunctum, quem terrenum appellant, ipſum ſcilicet hominem: ſic tria ſunt ſymbolorum genera: verbum ſine figura, figura ſine voce, verbum cum figura coniunctum: vtque tertius ille eſt propriè homo appellandus, ſic & hoc poſtremum, eſt verè ſymbolum iudicandum.

Quinq; in ſymbolo reperiuntur: authoris propoſitũ: verba: Analogia: figuræ proprietas, & ſignificatio. Corpus ipſum & ſymbolum, vt in homine, mens, ratio, ſpiritus, ſiue vehiculũ aerium, qualitas vel tẽperatura corporis, corpus. Et tam hîc menti, quàm illic autoris inſtituto omnia inſeruiunt. Vtq; mens vna, ſic vnum autoris propoſitum: ſed facultate multiplex: vt illa: ſic vt author vnum, alij fortaſsis plura ſentiant. Monſtrum eſt, ſi mens ſine corpore viuat, aut ſine figura vox ſufficiat, vt illud

Fortia facere, & pati Romanum eſt.

Vt corpus ſine anima non conſiſtit, ita nec figura ſine voce cohærere poteſt: nam ſi ſola proferatur figura ad conſtituendam ſymboli naturam, iſta incommoda conſequentur, primò ſymbola confundentur cum Hiero-

glyphicis, ſecundò verbum redundabit: tertiò verbum ipſum nihil aliud aget, quàm quod eſt ab ipſa figura iam confectum: quod æquè turpe eſt, atque illorum vita, quæ ſenſuum voluptatibus delinita, nihil altum ſapit, nihil intelligibile contemplatur. Sic, *Venena pello*: &, *Inclinata reſurgit*, quæ à Iouio proponuntur.

Quemadmodum homo perfectus non eſt, niſi à ſenſibili multitudine ad vnitatem intellectualem aſcendat, ita ſymbolum non erit abſolutum, niſi & vocum & figurarum & propoſitorum multitudo, quoad fieri poteſt, amoueatur.

In homine diuerſa eſt corporis forma, ab ipſius hominis forma, ex anima & corpore conflati: ſic figura propriam habet ſignificationem diſtinctam ab ea quæ profluit à coniunctione vtriuſque: & tamen vt in homine non eſt niſi vna forma præcipua (nam illa altera huius aduentu deletur) ſic in ſymbolo ſimplex eſt & vnica quæ propriè appellatur anima.

Nullum corpus ignotum, obſcurum, & incognitum introduci debet. Humana figura non inducatur, niſi vel hiſtorica, vel ficta, vel egregio facinore nobilitata, vt Mutij, Horatij, Curtij, Coruini.

Figuræ ſint honeſtæ, verecundæ, laudabiles, non ineptæ, non ridiculæ, vt illa, Cupidinis tormento inſtructi, quam inepte laudat Ruſſellus.

Sequitur ipſa proportio & analogia, de qua plura reperiuntur apud eundem Farram, qui, etſi non faciat nimis intelligendo vt nihil intelligat, ea tamen de origine & quaſi fontibus ſymbolorum diſputat, quæ ab omnibus non intelliguntur.

Videamus iam quid Lucas Contiles ſentiat, ſed breuiter, nam pleraque iam dicta ſunt. Symbolica hæc diſciplina

disciplina non est, vt quidam volunt, per signa, ἄφωνα, loquendi ratio, adijciuntur enim verba, ne inuidi cauillentur.

Vna eademque alicuius animalis plantæue figura varijs animi sensis explicandis inseruire potest.

Originem symbolorum à Noe temporibus repetit Contiles, sed ineptè. Atque illud præpotentis dei symbolum esse scribit, Arcum cælestem, cum voce adiuncta, *Non amplius peribit aquis omnis caro.*

Excludit monstra, Chimærasque, quia nihil altum, rectum, æquum, honestum, illustre, sed deprauatum, humile, turpe, indignum significant.

Excludit figuras humanas: non tamen poeticas.

Excludit figuras quæ non eo modo vel pictæ vel instructæ sunt, quo à poetis instruendæ proponuntur; sic ineptè pingetur Hercules cum gladio, non claua: Ineptè fulmen detrahitur Ioui, daturque Neptuno: ineptè leo armatus gladioque instructus inducetur.

Symbolum est corpus quoddam (compositionẽ vocat Contiles) ex figura voceque conflatum, ad illustrem & ingenuã animi notionem euoluendam accommodatũ. Dixi, ex figura, quia etsi plures fuerint, concurrunt omnes tamen ad vnius præcipuæ figuræ constitutionem.

Ea est igitur symboli natura, vt generosam indolem, heroicam animi magnitudinem, altumque ingenium & illustre ostendat: ipsaq; figura iam verbo consignata, est quasi sacramentum quoddam, quo astrictus tenetur ipsius symboli author, vt id quod suscepit, perficiat cum dignitate.

Verbum.

Reijcit Contiles sententias ethicas, prouerbia, interrogationes, præcepta, ænigmata.

Figura.

Quocunque ex rerum genere figura petatur, nec incognita nimis esse debet, nec nimis longè petita.

Reijcit ea omnia Contiles, quæ non aliquid altum promittunt, sed alios reprehendunt, quæque res non futuras prædicunt, sed vel præsentes notant, vel præter fluxas, quæ denique vel iram, vel odium, vel amorem, cæteraſque animi affectiones ostendunt. Itaque nec illud admittit, *Nutrisco & estinguo*, nec istuc, *Micat inter omnes*, tandem se quasi reuocat, fierique permittit, modo priuata sint, non autem publicè proponantur, mandenturque literis.

Quinque ab eo fontes proponuntur, ex quibus omnia perfecta symbola deducantur Natura: ars; casus; historia; fabula. Infinita alia congerit Contiles, vt & reliqui fere Itali: manum enim de tabula tollere vix possunt. Ista selegi; quæ quàm verè ab eo dicantur, deinceps disputabitur.

Postremo iam in loco explicanda est Scipionis Bargaglij sententia, quam ille multis verbis illustrat, ego breui oratione circumscribam, meumque, si fas sit, iudicium interponam, Academicò planè modo, paratus nimirum ad audendum, paratus etiam ad audiendum.

Veterum Symbola, quæ appellat Russellus, differunt à nostris. Illa res ferè diuinas, & ab intimis naturæ visceribus deriuatas continebant: hæc res humanas; & vulgares nostras cogitationes complectuntur: illa sola sæpenumerò figura constabāt, his verba & voces adijciuntur. Itaq; cithara Dauidis, arcus Iridis, Columba Solomonis; agnus cum voce, *ecce qui tollit peccata mundi*; & illa Euangelistarū à Contili enumerata, mysteria potius

includunt,

includunt, quàm animi affectus ostendunt. Ego tamen, vt suum affectibus locum relinquo, sic symbola ad solos animi affectus explicandos non restringo.

Itali vocant *Impreſe*, à verbo *Imprendere*: ita vt sit negotium aliquod, quod quis constanti & confirmato animo obeundum suscepit. Videtur autem ista symbolorum institutio ab Anglorum militum consuetudine deducta, qui certo quodam ac præfinito, præscriptoque temporis curriculo, præclarum aliquod facinus perpetrandum suscepêrunt, recepêrunt, proposuêrunt: quo tempore, nouum quippiam à nouo isto negotio petitum symbolum, vel sine voce, vel cum voce finxerunt, quasi nexum, pignus, vinculum, quo illi constringebantur, tenebantur, cogebantur, ad susceptam prouinciam administrandam, ne nouas res prius aggrederẽtur, quàm id quod erat in manibus absolueretur. Hinc profluxit vox ista, *Impreſe*, res enim significata sumitur pro significante. Vel erit nomen ab eo deductum, quod illi ab amicis acceptum suis, vel in scuto, vel alibi posuêrunt, quasi calcar, quo excitarentur ad easdem honorandas. Hinc Arthuri mensa, eiusdemque milites, qui terrarum orbem peragrantes, amicas honorantes, huiusmodi facinora suscepta perpetrarunt. Ex quo fonte fluxisse videtur symbolorum nostrorum consuetudo, quę ab Italis *Impreſe* appellantur. Iouius iecit fundamenta: magnæ illi habendę sunt gratiæ. Principia enim difficilia sunt, facile autem est inuentis addere.

Omitto Farram alta speculantem, & symbolorum, doctrinam ex Cabale Hæbreorum, Theologia Orphei, numeris & symbolis Pythagoricis deriuantem. Nostra non ita abhorrent à communi consuetudine symbola. Itaque Contiles nimis in angustum contrahit symbo-

lorum limites, qui ſola admittit heroica ingentium facinorum indicia & promiſſa. Nos nõ excludimus, amantium, riualium, ludentium cogitata: accedant timentes, iraſcentes, pugnantes, vituperantes, contemnentes. Nam altum eſt, humilia contemnere, atque iſtum contemptum ſymbolo expreſſum præ te ferre. Fortiſsimum eſt, timere dedecus; improbiſque ſuccenſere, laudatiſsimum. Pugnare pro patria honorificum, proditores vituperare, non reprehendendum. Quæcunque poſſunt vel animo concipi, vel voce proferri, vel factis exprimi ſine dedecore, ea omnia poſſunt cum dignitate in ſymbolis collocari. Itaque expulſa quædam à Contili reuocamus, reuocata etiam laudamus, atque iſta quæ ſubſequũtur, illo vel inuito atque reluctante retinemus. Agmen apum: *ſic vos non vobis*. Flumen, quod longo tractu tandem in mare prolabitur, *vires acquirit eundo*. Quorum primum eſt ab Antonio Leua inuentum, ſecundum ab Alexãdro Piclomenęo archiepiſcopo inſtitutum, & ad famam iam diffundẽdam accommodatum. Sic ergo diuina illa & Heroica Symbola teneantur, vt humana iſta non penitus reijciantur.

Definitio ſymboli hæc eſt à Bargaglio introducta. Symbolum eſt expreſsio ſingularis alicuius animi notionis, per ſimilitudinem quandam confecta, cum figura alicuius rei naturalis (excepta hominis figura) vel artificioſæ, & voce arguta, breui, acuta, lepida, adiuncta.

In omni perfecto ſymbolo Bargaglius requirit ſimilitudinem quandam, comparationem, & imitationem. Illuſtrior enim eſt per metaphoras explicãdi ratio, quam ſimplex & propria locutio. Vt cum, totius mundi lampadem exortam eſſe affirmo, illuſtrius multò eſt, quàm ſi ſolem nominauero. Nam præter id quod proponitur,

mens

mens quasi ratiocinando discurrens, colligit ipsam quoque lampadis naturam, & accommodat ad solem.

Figura hominis.

Magna quæstio est, argumenta in vtramque partem plurima proferuntur. Iouius hæret, tollit in præceptis, ponit in exemplis. Probat Russellus, sed mutatam, inusitatam, retinetque etiam Contiles, sed poeticam. Russellus authoritatem veterum græcorum & Latinorum inducit. Quid quod ex humana forma sumatur comparatio, itaq; & symbolum.

Virgilius primo AEneidos sic explicat Veneris vultum & habitum.

Cui mater media sese tulit obuia silua,
Virginis os habitumq; gerens, & virginis arma
Spartanæ, vel qualis equos Threissa fatigat
Harpalice, volucremq; fuga præuertitur Hebrum.

Qui vero tollunt, ita disputant. Græcorum & Latinorum authoritas in hac re potest parum. Nam noua est & recens inuentio, priscis illis prorsus incognita. Deinde homo est eiusdem speciei cum homine, hoc est, omnes homines sub vno speciei ambitu continentur, inepta est ergò ab homine ad hominem petita comparatio: ideoque rarissimè apud Oratores & poetas reperiuntur, cum illæ sint infinitæ quæ à diuersis rerum naturis & formis deriuantur. Porrò, homo cùm sui iuris sit, rationis & iudicij particeps, inconstans sæpissimè reperitur, nulla vt certa regula sumi possit ab illius actionibus ad rem aliquam explicandam. Quæ verò non pro arbitratu suo feruntur, sed mouentur natura duce, cõstantissimè progrediuntur. Postremò, si homo quispiam exprimatur,

vel

vel erit indiuiduum certum & determinatum, vel erit vagum, vt loquntur Dialectici: quod quidem cùm nihil certi significet, confundet & perturbabit omnia. Sed occurri potest, sunt sanè inconstantes ipsi homines, dum in istis corporis compagibus includuntur: at verò, cum animus è corpore euolauerit, tum certum indicium sumi potest, & iudicium dari: hinc illa iam omnium sermone celebrata: *Nerone crudelior: Thersite turpior*. Non opus est in omnibus indiuiduis vel nota, vel nomine. Quis enim est, qui Mutium, vel Horatium pictum nõ agnoscat? Quod si opus sit, quid impedit, quò minus notæ quędam aliunde petitæ accersantur? Quod ad exemplum attinet sumptum à Virgilio, facilè respondemus. Liberiores enim sunt poetæ quam oratores. Non tamen ita reijciemus humanam figuram, vt recipi omninò non possit, si necesse sit, nec aliter res confici possit: illud tamen arctè tenemus, ea esse symbola indigna magis, venusta minus.

Partes etiam humani corporis in symbolorum corpus inserendæ non sunt, vt partes ipsum symbolum constituentes, sed tanquam ornamenta quædam: verbi causa, pingi potest dextra manus facem tenens, quia est in more positum, vt facem ita circumferamus: Neq; tamen dextra iam, sed ipsa fax, est essentialis symboli pars.

Atq; hęc ita disputãtur à Bargaglio, cuius si hoc postremũ præceptũ nimis durum videatur, per me licebit, violetur; Id certe ferẽdum mihi nõ videtur, quod ab eodem Bargaglio affirmatur, formas figuraſque hominum quocumq; modo adumbratas, siue vulgares, siue nouas atque admirandas, siue insigni aliquo facinore nobilitatas, siue poeticas & commentitias amouendas esse: Omnesque deorum imagines, dearumque, omnia portenta poetica:

Faunos,

Faunos, Satyros, & ruſtica montium, arborum, fontiumque nomina penitus eſſe exterminanda. Nam quod illi videtur abſurdum, vt res vera fictis illuſtretur atque explicetur, id mihi videtur maximè accommodatum. At iſta, inquis, ſunt à vulgi ſenſu abhorrentia: Quid autem ſtultius, quàm id obſcurum eſſe velle, quod ad alia illuſtranda adhibetur? Neque enim obſcuritatis velo inuoluenda ſunt Symbola, (vt ineptè Iouius, alijque à Iouio decepti ſentierunt) ſed ita proponenda, nihil vt illis excogitari poſsit illuſtrius. Fateor, illuſtrem eſſe oportere in Symbolis explicãdi rationem. Nec id voluit Iouius, ita hæc eſſe obſcura, vt ab homine vel mediocriter erudito non intelligantur. Fieri tamen non poteſt, quin obducatur aliqua, & quaſi reſpergatur obſcuritatis nubecula, quia non eſt trita iſta & peruulgata, ſed elegans & polita Symbolorum inuentio: ita, vt qui Symbolum ita faciat apertum, vt fiat planè plebeium, is mihi videtur, vt plebi conſulat, generoſis inuidere. Neque verò ſunt iſta poetarum portenta tam à communi ſenſu abhorrentia, quin ab ipſis etiam pueris ediſcantur, & quotidianis ſermonibus vſurpentur. Nam quod erat iampridem à Contili poſitum, portenta iſta reijcienda eſſe, quòd cùm monſtra ſint, nihil niſi monſtri ſimile & horrendum ſignificare poſsint, eadem facilitate negatur qua affirmatur. Nam vt vituperare vitium laudabile eſt, ſic monſtra proponere, vt monſtri ſimiles homines & ab humanitate alienos in Symbolo perſtringamus, videtur mihi non reprehendendum.

Hieroglyphica.

HIeroglyphica eandem ob cauſam à Bargaglio reijciuntur, quod ſint obſcura & plærisque ignota; eſtq;

hoc in loco aliquid quod dicit, nam Hieroglyphica sunt AEgyptiorum inuenta, non naturæ. Sed quia multa, immò quàm plurima, quæ à Pierio explicata sunt Hieroglyphica, ab intimis ipsius naturæ visceribus petuntur, omniumq; iampridem gentiũ & literis & linguis celebrantur; ea retinemus, ex illis corpora Symbolorum figurasque comparemus; cætera, quæ magis abstrusa sunt, & nescio quæ AEgyptiorum mysteria continent, nihil autem habent cum naturæ operibus commercij, relinquamus.

Est autem ἱερογλυφικὴ, sacra quædam sculptura vel cælatura, qua cuilibet vti non erat licitum, sed solis sacerdotibus, qui dicebantur Hierogrammati, ait Suidas, ne quis putet AEgyptios nullis alijs vsos esse literis.

Alexander Farra putat AEgyptios à captiuis Hæbræis didicisse istam Hieroglyphicam doctrinam, cuius dignitatem describit Plotinus in libro de pulchritudine intelligibili, & Iamblichus etiam in mysterijs AEgyptiorum.

Autores Hieroglyphicωn enumerantur Cheremon, Heraiscus Epius, Orus, Pierius, Curio. Quæ verò Philippus collegit ex Oro, græcè imperfecta, Latinè & gallicè mutilata circumferuntur.

Vt dicam sine cunctatione quod sentio, non mihi videntur ista Hieroglyphica quæ ex Oro collecta ad nostras manus peruenerunt, ita esse alta & recondita, vt à quouis homunculo qui musas vel à limine salutarit, non possint comprehendi. Itaque in eam sententiam adducor, vt existimem præclarissima illa AEgyptiorum mysteria iam temporum iniurijs perijsse, reliquias autem quasdam, & quasi dissoluta & disiecta ædificij rudera,

ad

ad noſtram ætatẽ peruenisse, ita vt nihil vereamur Symbola ex illis deriuare, cùm in promptu sint omnibus pateantque quàm latisſimè. In istis autem colligendis egregiam planè Pierius nauauit operam: ex quo ferè omnia desumpta sunt quæ deinceps proponemus. Non quòd ista in epitomen contrahentes, legentium vel oculos vel animos à magnis illis Pierij commentarijs deducere velimus, sed vt digitum potius ad illius fontes intendamus.

Magnanimitas itaq; & Robur figurantur.

Per pictum Leonem. Nam Leo non terretur laruis. Inde in sacris, dei populus dicitur sicut catulus leonis exurgere, & sicut leo exilire, & leo de Iuda. Hinc feroces θυμόλεοντας vocant poetæ. Cicero in officijs vim non aliter Leoni peculiarem esse dicit, quàm vulpeculæ fraudem.

Vigilantia & custodia.

Per caput Leonis. Solum enim hoc animal ex ijs quæ recuruos vngues habent, simulac natum est, cernit. Hinc Plutarchus Leonem Solare animal haberi putat. Leo παρὰ τὸ λεύω τὸ βλέπω. Somni parcissimi est, oculosque habet inter dormiendum splendescentes, ac quodammodo patefactos, vnde quidam eum insomnem crediderunt, eóq; magis quod caudam assiduè inter quescendum motat. Verùm hoc fieri non potest, ait Aristoteles. Hoc autem ideo ita esse crediderunt, quia leo magnos habet oculos, palpebrasq; perexiguas, vt nõ oculum penitus possint obtegere, intuentiq; splendor iste se offert, qui plurimus emicat ab eius pupilla, vnde insomnis esse videtur. Itaque in portis templorum capita pinguntur leonina.

Terribilis & terrificus.

Eodem modo. Nam aſpectu ſolo (tanta eſt in oculis maieſtas) terret, etſi nihil ferum moliatur. Vnde illud in Agamemnonis clypeo de quo ante diximus, οὗτος μὲν φοβός ἐσι βρότων, &c. Magna etiam vis eſt in rugitu, ita vt eo audito cætera conſternentur animalia.

Furor indomitus.

Per Leonem catulos ſuos ἐξωσίζοντα. Furor eſt Leoni familiaris. Febri eſt obnoxius, cui nomen ab igne, πυρετὸς. Præclarè Lucretius.

Sed calidi plus eſt illis, quibus acria corda
Iracundaq; mens facilè efferuescit in ira:
Quo genere inprimis vis eſt violenta Leonum,
Pectora qui fremitu rumpunt plerumq; gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.

Edomitus furor.

Per Leonem facibus ignitis perterritum, fugit enim flammas, quia eius præcipua vis eſt in oculis, quos qui habent ſicciores calidioreſque, ignem maximè auerſantur.

Relligioſa formido.

Per Leonem à Gallo fugatum, prȩcipuè albo. Lucretius de Gallo.

Quem nequeunt rabidi contrà conſtare leones
Inque tueri, ita continuo meminêre fugai.

Semel

Semel enixa.

Per Leænam, Semel & ſolum, ſed Leonem, dixit Leæna Vulpi, apud Aeſopum. Sed refellit hoc Ariſtoteles.

Clementia.

Per Leonem & hominem ſubſtratum. Hinc Ouidius.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni,
pugna ſuum finem, cum iacet hoſtis, habet:
At lupus & turpes inſtant morientibus vrſæ,
& quæcunque minor nobilitate fera, eſt.

Vires cedere ſapientiæ.

Per Leonem propemodum humi procumbentem, & ſuperuolantem noctuam. Per illum, Robur: per hanc, Minerua ſignificatur. In Antiochi nummo reperitur.

Vires cedere eloquentiæ.

Per Leonem qui anterioribus pedibus inclinat ad humum, & caduceum ſuperne exporrectum. Nummi inſcriptio eſt ΜΙΛΗΤΩΝ.

Fatuorum & loquacium inimicus.

Per elephantum fugientem caprum, & porcum grunnientem.

Pietas.

Per elephantum flumine ſe purgantem, nouamque lunam intuentem admirantemq; , herbiſque in cœlum iactis, cùm ægrotat, precantem.

Manſuetudo.

Per elephantum proboſcide pecudes ſemouentem, ne lædat. Viam erranti homini monſtrat.

Petulantiæ frænum.

Per taurum caprifico caput, colla, armoſque redimitum. Caprifico enim ea vis eſt, vt laſciuientium taurorum & quantumuis ferocientium naturam vſque adeò compeſcat eorum collo circundata, vt eos propemodum reddat immobiles.

Cæcus amor. Hæres inuiſus.

Per ſimiam iam alteram ſimiolam complectentem. Parit duas, vnam amat, odit alteram. Amplectendo interficit amatam, tum inuiſam cogitur nutrire.

Formido.

Per ceruum & puniceas pennas prætentas. Sic Virgilius Turnum attonitum comparat *Ceruo puniceæ ſepto formidine pennæ*, ſic enim eos olim venabantur. Sed & eſt timida cetuorum natura: ſic Achilles ad Agamemnonem primo Iliados κραδίη δ' ἐλάφοιο.

Vehemens appetitus.

Per ceruum ad fontem accurrentem.

Pudor de repulſa: vel ſaluti ſuæ conſulens.

Per ceruum marem ſine cornibus inter virgulta fruticeſque abditum. Amiſsis enim cornibus, tandiu præ pudore latent, quoad altera renaſcere cęperint. Alij nõ hoc præ pudore, ſed natura duce fieri putant, quò ſe latebris tegant, cum arma perdiderint.

Inueſtigatio, Labor, prouidentia.

Per formicam ſedulò laborantẽ. Horatius.

Paruula, (nam exemplum eſt magni formica ore trahit quodcunque poteſt, &c. (laboris)

Virtus

Virtus eneruata delicijs.

Per ſcarabæum roſis implicatum. Scarabæus virum virtutemque notat, quia nihil habet cum fæminis. At vir licet ſit, roſarum olfactu perit. Sic Hannibal Capuæ delicijs victus cecidit.

Contra pericula munitus.

Per Echinum terreſtrem, ſiue Erinacium ſe in globum contrahentem. Nam ſimulatque ferarum ſe impetentium odorem latratumue ſenſerit, in orbem ſeſe colligit, roſtro pedibuſque intrinſecus teſtudinis more contractis, tergore omni, pilæ inſtar conglobato, ſpiniſque quibus vndique munitus eſt, ad incolumitatem erectis otiatur, contactum ſuum omnibus formidabilem reddens.

Pernicioſus, ſenſui deditus, ſophiſta, vitioſus, prophanus, ſalax.

Per ſuem luto inhærentem. Animal immundum, lutoſum, roſas non ferens, Leonem & elephantum fugans, ab Egyptijs Romaniſque expulſum & reiectum.

Conſternatio multitudinis.

Per capram villo à mento dependente comprehenſam. Accidit enim vt ſi earum vnam ex grege, arunco eo apprehenderis, cæteræ ſtent veluti ſtupidæ, ſuos in illam vnam oculos conijcientes.

Stoliditas.

Per ouem. Innocẽtia & caſtitas per agnũ: ἁγνὸς puritas.

Muſicæ hoſtis.

Per tympanum & tygridem: ferre enim non poteſt, immò ſe mordet ſuaque viſcera fœdat.

Acutiſſi-

Acutißimus obtutus.

Per Lyncem. Cicero in epiſtolis, Quis tam Lynceus? Horatius, *Non poßis oculo quantum contendere Lynceus.* *Inuidus.*

Per Lyncem vrinam ſuam terra defodientem, quæ eruta, lapis eſt Lyncurius.

Profectus cum ætate.

Per rudem & informem vrſæ catulum, lambendo perficiendum: negat hoc Scaliger.

Prouidentia.

Per vrſum retrò in caueam auerſis veſtigijs intrantem ne deprehendi poſsit, vtque ea ſpecie Venatores fallat, cum egreſſa inde videatur, non autem ingreſſa. Quin & ſi maior vis aliqua, quam ſuperare deſperet, vrſo incubuerit, narrant eum ſibi conſcium imbecillitatis qua caput eius laborat, ſi fugiens ad præruptam aliquam rupem peruenerit, manus ſupra caput tollere, ijſque pectinatim firmiter complicatis, reliquo conglobato corpore, præcipitem ſe dare, atque ita capturam euadere.

Fraus, dolus.

Per vulpem, Horat. *Nunquam te fallāt animi ſub vulpe latentes.* Hinc ἀλωπεκίζειν, aſtutè circūuenire, & ἀλωπεκάω decipio. Cum aliquid aſtutè gerendum eſt, vulpi primas partes in fabulis dat Aeſopus.

Ratiocinans.

Per vulpem, qui aurem ad terram apprimat, paludoſam aliquam regionem peragratura, nam ſi ſtrepitum ſentiat, non progreditur, ſin contrà, pergit, ſolumque firmum eſſe ex eo cognoſcit.

Caſtitas

Castitas.

Per murem Armenium, qui luto circumdatus, mori potius optat quàm pellem maculari.

Contumacia.

Per aspidem, vnam aurem in terram defodientem, alteram cauda obturantem, ne magicam carminum vocem audiat.

Ingratitudo filiorum in matrem.

Per Viperæ partum. Nota historia.

Amoris nutrimentum.

Per Salamandram. Nota fabula. Neque enim verum esse putat Pierius: reponit ego Pyralin, vel Pyraustam quæ in ærarijs fornacibus in Cypro reperitur, & per ignem tutò inambulat, quòd si recesserit ab igne, perit.

Terror, stupor, admiratio.

Per Medusæ caput. Nota fabula, saxificum fuit.

Pietas.

Per Ciconiam: trita omnia.

Custodia, vigiliæ.

Per gruem pede lapidem tenentem, qui cadens, eum è somnis excitet.

Prudentia.

Per gruem volantem supra aquas, lapidemque pede tenentem, cuius lapsu explorat, aquas an terram præteruolet. Alij hoc pacto grues se saburrare & firmare putant, ne ventis abrepti inter volandum fluitent.

Miseratio.

Per vulturem rostro femora fodientem, vt pullos pascat suo effuso sanguine. Pelicanus non vt alat, sed vt sospitet pullos, femur fodit.

Imperatoria maiestas.

Per aquilam. Huic rex deorum Iupiter regnum permisit in aues vagas, ait Horatius. Viribus valet, pernix, concinna, polita, apta, intrepida, strenua, liberalis, minimè inuida, nec petulans, non clangit, non murmurat. Omnia regia.

Conuiciorum contemptor.

Per aquilam statu immobili considentem, nulla pennarum asperitate terribilem, neque hiatu rostri minacem. Iuxta verò cornicem; eo gestu, vt lacessere & conuicia facere videatur, quod aquila non magis curat, quam Elephas culicem.

Pernicioſa potentia.

Per aquilæ pennam. Nam vt Pantherinum tergus, Hyenæ, sic auium aliarum, aquilæ pennis iuxta positis, decidunt.

Renouata iuuentus.

Per aquilam quæ rostrum ad petram alliserit. Fame verò confectus, per eiusdem aduncum rostrum.

Hypocritæ.

Per nycticoracem, nam die nihil molitur, at in tenebris horrendo eiulatu vociferatur.

Concordia & maritalis copula.

Per duos cornices. Nam duo tantum eius sunt oua, ex quibus mas & fœmina pariter excluduntur. Quòd si,

(quod

(quod raro accidit) vel geminos mares vel vtramque fæminam gigni contigerit, cælibem vterque vitam agit. Coniugatorum verò si alter moriatur, nec mas cum alia femina, nec fæmina cum alio mare copulatur,

Sed sola in sicca secum spatiatur arena.

Idom per Columbam.

Amatoriæ illecebræ.

Per duas columbas se osculantes, quod prius faciunt quàm Veneri dent operam.

Continentißima viduitas.

Per turturem in arenti arbore sedentem, solam, mœstam.

Astutia.

Per coruum lapillos in vas conijcientem, vt aqua assurgat altius, quam bibat. Faciunt hoc in Lybia.

Diuitiarum vicißitudo.

Per pauonis caudam. Nam singulis annis, cum primis arborum frondibus amittit, cumque earundem germine recipit.

Glorioſus & inanis.

Per pauonem caudam explicantẽ, quod facit cũ multi intuentur: contrahit verò cùm solus est. Hinc Ouidius

—— laudato pauone superbior.

neque tamen vtiles sunt pauoni suæ plumæ, sed tantum ad ostentationem propositæ.

Excubiæ.

Per Gallum. Nam è prima mediæ noctis inclinatione, ex plaudentibus, vt Lucretius ait, alis.

Auroram clara consuetus voce vocare.

Malignitas.

Per coturnicem, aquam ex qua iam biberit, pedibus roſtroque turbantem, pulueremque in eam ingerentem.

Inſipientia.

Per ſtruthiocamelum, caput intra frutices abſcondentem. Tunc enim ſe latere putat, cum tamen ita vaſtam habeat corporis molem, vt altitudinem equitis in equo inſidentis excedat.

Ambidexter.

Per veſpertilionem, nam incertum eſt vtrum ales ſit, an muſculus.

Populus regi parens.

Per apum examina regi obſequentium.

Honeſtæ incunditatis ſtudioſus.

Per apem floribus inſidentem, & dulcia tantum paſcentem, quam imitari iubet Iſocrates.

Alieni laboris fructum percipiens.

Per fucum. Hinc Virgilius. *Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.*

Alienæ opis indigus mutuum auxilium.

Per pinnam & ſquillam, de quibus Cicero. Pinna duabus grandibus patula conchis, cum parua ſquilla ſocietatem coit comparandi cibi. Itaque cum piſciculi parui in concham innatauerint, tùm admonitu ſquillæ, pinna morſu comprimit conchas, &c.

Ab ineunte ætate libidinoſus.

Per pinnam fœtus oſtentantem ſuos. Conchulæ enim huiuſmodi in concha genitæ, antequam excluduntur,

inter

inter se quamprimum coire dicuntur. Hinc Veneri concha dedicata, & Venus è concha nata dicitur.

Spes certa de re incerta.

Per anguillam à manu ficulneo folio inuoluta, comprehensam, quòd scabritie sua faciat, vt anguilla non elabatur.

Impostor.

Per sepiam, atramento enim effuso aquam turbat, ne capiatur.

Sanguinarius insatiabilis

Per hirudinem. Hinc illud Horatij.

Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Mutus.

Per Piscem. Claudianus.

Qui iusto plus esse loquax, arcanaq; sueuit
Prodere, piscosas fertur victurus in vndas,
Vt nimiam pensent æterna silentia vocem.

Demissus, fractus.

Per asellum aures demittentem. Horatius

Demitto auriculas, vt iniquæ mentis asellus.

Victoria.

Per palmam, quia pondere non deprimitur.

Genius, Voluptas, Venus.

Per myrtum, quippe quæ sit delicatissima, viridissima, suauissima, speciosissima, ideoq; Veneri consecranda, cui myrteam coronam tribuunt poetæ.

Pulchritudo ſine fruge.

Per cupreſsi ſublimitatem. Hinc illud κυπαρίττος καρπὸς.

Prudentia.

Per morum: nam non priùs germinat, quàm frigus fugatum eſſe cognouerit.

Pax.

Per oliuam: Supplicatio per oliuæ ramum. Trita omnia & peruulgata.

Lætitia.

Per vitem, vnde vinum. Opis indiga.

Per vitem, quæ niſi ſuffulta ſit, ad terram fertur, ideoque clauiculis ſuis, quaſi manibus, quicquid eſt nacta, complectitur, vt ſe erigat.

Nulla eſt ſincera voluptas.

Per roſæ ſpinam. At ſine ſpina, gratiam & ſuauitatem notat: quin & humanæ formæ fragilitatem.

Inſperatum.

Per fungum, qui vna nocte naſcitur.

Amicitia.

Per vitem & vlmum, palmam marem & fœminam, myrtum pomumq; punicum, quæ omnia, ſi propè ſint, fertiliora ſunt.

Nævus, ſimulator.

Per pomum punicum, cuius cortex eſt purpureus, rubicundus, lepidus, nunquam tamen reperitur ſine aliquo grano ſubputri.

Iſta ferè omnia ex naturæ arcanis deprõpſit Pierius, nos ex Pierio deſcripſimus, quia ex iſtis oriuntur Symbola.

bola. Pergamus porrò, & Bargaglium adhuc perſequamur. Reijcit enim deinceps Troianũ equum, Alexandri Bucephalum, Haſtam Achillis, Phalaridis taurum, quia Veteribus iſta, non autem nobis ſint ſatis cognita. Quid multa? cum quinq; à Luca Contili fontes proponerentur, ex quibus producerentur Symbola, duos hic tantùm agnoſcit, Artem & naturam. Tollit itaque caſum, tollit hiſtorias, quia vna actio non videtur eſſe regula: tollit nodum Gordianum, cum Voce, *Tanto monta*. Quòd ſi cuipiam iniquum videatur, teneat quod placuerit. Bargaglius videtur voluiſſe, vt non ſolùm notionis explicatio, ſed & eiuſdem probatio atque confirmatio in Symbolo contineretur, quod ego non admodum poſtulo.

Quinetiam & templa deorum conuellit, & veterum deſtruit ædificia, Carolique columnas deturbat, quòd rem factam declarent, nõ autem promittant faciendam, quia ab hiſtoria petuntur, non ab arte aut natura, quia nulla videtur hîc inſtituta ſimilitudo aut comparatio, quæ ſi non reperiatur, nullum illi videtur ſatis politum Symbolum. Itaque non in Symbolorum numero reponenda putat huiuſmodi inuenta, ſed ad pictam poeſin potius releganda.

Vox.

Vox non eſt Symboli anima, ſed ſola illa ſimilitudo inter proprietatẽ rei, et animi notionẽ intercedens. Vox ipſa nihil aliud eſt quã declaratio proprietatis, itaq; inſtrumentũ potius quam forma appellabitur: neceſſariò tamẽ requiritur ad euitandam cõfuſionẽ, & ancipitẽ animi in varias cogitationes diſtractionem; reſtringit enim vox, & circũſcribit, facitq; ne vagetur animus errore, ſed certũ habeat quod ſequatur. Quod ſi tollatur vox, generalis

erit

erit & interminata Symboli natura, ideoque confusa & perturbata. Quòd tamẽ illa vna figuræ qualitas à voce iã circũiscripta, vel ethicã, vel amatoriã, vel diuiniorẽ quandam sententiã cõplecti possit, id fit fortuito quodã euentu, & per accidens, vt loquuntur, ratione diuersi obiecti, circa quod versatur aspicientis animus. Atque hoc mihi videri solet longè gratissimum, cùm diligentius cogitanti pluta occurrunt, quæ tamen omnia in eundem ferantur finem, idem sonent, significent idem. Verbi causa, *Sic sine te*, Verba ista vel de domina dici possunt, vel de domino, vel de prepotenti illo deo, & tamen sensus vnus est, sine te nil sum, sine te nil possum. Aliud est ergò rei alicuius qualitatem ad certum aliquod institutum restringere, quod fit per vocem; aliud accommodare hoc institutum vel notionem ad diuersas materias subiectas, quod fit per intellectum.

Atque ista hactenus disputata sint de Symbolorum natura & proprietate. Quorum qui politus artifex esse cupit, necesse est eos diligenter euoluat libros, qui explicãt naturæ obscuritatem. Gesnerus in animaliũ naturis exponendis summa cum laude versatus est, Mathiolus in herbis: in plantis Scaliger: quibus si cæteri adiungantur, qui ista laude floruerũt, eruditum efficient Symbolorum architectum. Nam id ineptum est & planè prepostorum, vt verbum aliquod venustum primò excogitemus, tum demùm figuram inuestigemus: Quin potius primo in loco diligenter id erit considerandum, quod velimus exprimi, tum, quæ planta, quodnam animal istiusmodi proprietate sit instructum, quæ accommodata videri possit ad id quod volumus exprimendũ. Quod cum fecerimus, facilimum quiddam erit vocem adiungere, quæ figuræ cohereat, & implicatam animi notionem

nem ſimul cum eadem eleganter exprimat.

Quæ præcepta dentur, iam diximus. Sequitur vt de praxi in exemplis pauca proferamus.

Carolus Cardinalis Borromæus.

Figura, Ceruus ad fontem accurrens.

Vox, *Vna ſalus.*

Ceruus natura calidus aquas & fontes amat, ibique conſiſtit, feſſus in eaſdem ſe conijcit, atque ita recreatur. Virgilius 7. Aeneid. de Ceruo à Iulio transfixo.

Hunc procul errantem rapidè venantis Iuli
Commouêre canes, fluuio cum forte ſecundo
Deflueret, ripaque æſtus viridante lauaret.

Aſtor Baglio.

Figura; Elephas.

Vox, *Naſcetur.*

Ariſtoteles ait Elephantum fœtum in vtero geſtare duos annos integros: alij decem: certè diu eſt priuſquam pariat, partus autem eſt longè preſtantiſsimus, Robuſtus, clemens, doctus, iuſtus, pius, amans, longæuus.

Lilia luce vigent, marceſcunt lilia luce,
ſic matura breui ſunt moritura breui.
At meus hic multos partus differtur in annos,
Vt fructus fiat ſpes diuturna mei.

Fœlix Sanseuerina Duciſſa Grauinenſis.

Figura; Turtur in arbore arida.

Vox. *Ille meos.*

Deſumptum eſt ex quarto AEneid: vbi Dido in hunc modum loquitur ad Annam ſororem.

Ille meos, primus qui me ſibi iunxit, amores
Abſtulit, ille habeat ſecum ſeruetq; ſepulchro.

Turturis natura iam ante explicata eſt in Hieroglyphicis.

Lucretia Gonzaga.

Figura: Candida cerua ſub vmbra lauri, monili inſignita.

Vox: *Neſſun mi tocchi.*

Vox ex Petrarcha. Sunt qui ceruos dicant ab Alexandro ſic fuiſſe exornatos, poſtque centum annorum curriculum eodem modo inſignitos apparuiſſe. Omnia ſatis ſunt explicata.

Aurelius Porcelaga.

Figura: Heliotropium ſoli oppoſitum.

Vox: *Mens eadem.*

Fabula eſt apud Ouidium 4. Metamor. vbi Clytie, etſi mutetur in heliotropium, ſolem tamen ſuum ſemper reſpicit, vnde & nomen.

Hieronymus Fabianus.

Figura; Hedera arborem complectens.

Vox: *Sic periiſſe iuuat.*

Plinius teſtatur hederam ſic ſerpendo atque amplectendo, ſuccum exhaurire, vt conſumpta arbore creſcat hedera. Amatorium eſt.

Chriſtophorus Madruccius.

Figura; Phœnix ſe comburens.

Vox: *Vt viuat.*

Chriſtophorus Magnus.

Figura; Roſarium marceſcens.

Vox: *Cæleſtia non ſic.*

Quid vtilius roſa? & roſa tamen quid fragilius?

Gabriel Fraſcatius.

Figura; Nubes aquam pluuiam placidè diffundens in campum floribus veſtitum.

Vox: *Temperat arua.*

Sic nos, niſi vt aqua, in altum rapiamur, ſumus inutiles.

Scipio Aiazza.

Figura: Concha marina aperta, in qua margaritę eluceſcunt.

Vox: *Clareſcunt æthere claro.* Lege Plinium lib. 9. cap. 25.

Ludouicus 12. Gallorum rex.

Figura: Hiſtrix.

Vox: *Cominus & eminus.* Ex Hieroglyphicis.

Marcus Antonius Columnenſis.

Figura: Ramus palmæ per cupreſsi ramum traiectus.

Vox: *Erit altera merces.* Vel mors, vel victoria.

FINIS.

ERRATA.

	Errata.	*Correcta.*
D.1.	Inuicta	Iuuicti
	Iudicans	Indicans
	Continentes ſigniferi,	Continentes: Signiferi,
E.	libero	Libero.
G.2.	neque	reque
H	nuer	nuper
	repenenda	reponenda
	poſſunt	poſſint
	ſic poteſt quis tempore.	ſic poteſt quis vno tempore.
	nobilis, vno alio.	nobilis, alio
	mehercule habent: ſua	mehercule: habent ſua
	cum vobis.	cum veſtris.
I.2.	Arcarona	Ancarona.
	famoſarum	fumoſarum
K	priumſque	primuſque
K.2.	qui	quia
	diiſtinctionum	diſtinctionum
M.3.	materiam	materia
	fotmari	introduci
P.1.	nomina	numina
P.2.	queſcendum	quieſcendum

TITLE A. Franci in
Italis Impresa nomin

AUTHOR Franco, Abrah

LIBRARY HUNTINGTON LIBRARY

LIBRARY REF. NO. 598

ORDER NO. 13942

END

UNIV

ANN A

nsignium. Quae ab

inantur Explicatio.

aham DATE 1588

ARY

9819

S.T.C. NO. 11342

IVERSITY MICROFILMS

N ARBOR MICHIGAN